













BIBLIOTHECA
REGIÆ CANONIÆ
STRAHOV
PRAGÆ BOHEMIÆ





GEORGII BERTINI CAMPANI

DE
CONSVLTATIONIBVS
Medicorum
ET
METHODICA FEBRIVM
Curatione
COMMENTARIVS.





BASILEÆ
per CONRADVM VVALDKIRCH.
cIɔ Iɔ XXCVI.

Dum veteris leges Medicinæ expandere ſcriptis
Bertinus, Coa qua valet, arte parat:
Hunc ab eo ſollers de multis antè paratum
Extorſit Soſius Bibliopola librum,
Quem veluti πρόδρομον dimitteret, omnibus indeq́;
Auctorem notum, ſicut ab vngue, daret.

D. LEBEVS. T.



CLARISSIMO EQVITI NICOLAO HARAVCVRIO HODOVILLAEO NOBILI REGIS NAVARRAE à Cubiculo

GEORGIVS BERTINVS Medicus S.



Vm Montebelgardo (quò me è nouißimis tempestatibus Gallicis subduxeram) huc à te de morbo illo cuius velut importuni tyrãnidominatu tandiu teneris, consultandi causa aduocatus essem, nullam intermißionem officiÿ feci, coadiuuante D. GVILELMO ARRAGOSIO *Medico Cæsareo et Regio, probitate & doctrina commendatißimo, quin omni nostra cura studio atq; industria tibi tandem meliusculè esset. Reliquum succißiuum tem-*

pus, ad ea quæ de Vniuersa Medicina iampridem habebam instituta, perpolienda conuerti, vt consecutus iam quod conabar, paratum & instructum opus Typographo demandarim. Qui dum videt id ante initium anni venientis integrum excudi non posse, extorsit à me vt hunc cõmentarium de consultationibus Medicorum, atq; de necessaria earundẽ in curandis febribus methodo (in quo tractasse videor quæ nec fortasse satis sunt nota omnib. & sunt cognitione dignissima) de penu illo depromere & velut superfœtationem ante partũ in apertum proferre per me illi liceret, vt & mea sponte & eius inuitatu prodesse possem. Cùm verò eum no luissem antè à me dimittere, quàm patronũ illi aliquẽ splendidum quæsiissem, dignus occurristi mihi in cuius nomine appareret, cũ propter summa quæ in te sunt pietatis, generis virtutisq; ornamenta, tum ob rem ipsam de qua agitur, atq; vt quando abs te digressus ero, præsenti declarationi & testimonio tibi sit hic libellus meæ in te obseruantiæ, plenæq; study & officÿ voluntatis, qua et me tibi semper præstò futurum, spondeo. Vale, Basileæ Cal. Aug. CIↃ IↃ XIVC.

DE



DE PARTICVLARI REMEDIORVM VSVRPATIONE ET METHODO CONSVLTATIONIS medicæ.

Capvt I.



IN legitima & tẽpestiua remediorum, & syrmesmi vsurpatione, tria summa fide ac religione sunt perpẽdenda, nimirum diagnosis, prognosis & therapeutice. In diagnosi tria indicationum genera, nempe quæ sunt contra naturam, præter naturam & secundum naturã singulari cautione obseruabuntur. Primùm in methodica consultatione indicationes, quę sunt contra naturam ad amussim sunt examinãdæ, vtpote morbus, eiusdem natales & symptomata. In morbi perspicientia quatuor summæ & celeberrimæ indicationes sese

conſpicuè detegunt, ſpecies, magnitudo, mos & motus. Speciē morbi arguunt natura, eiuſdē pars affecta, humoris dominatus, actio læſa, excremētorum conditio & alia ſigna pathognomonica, quæ partis affectæ & morbi eam obſidentis ideam referunt. Non ſolùm in morbo ſpeciē, ſed eiuſdem indiuiduum ſpectare oportet, quòd ars nō ſolùm in illa, ſed etiam in hoc verſetur. Si enim febris diaria ſollicitat, conſideranda quænam & à qua cauſa contrahatur. Si hectica ægrum exerceat, prouidendum an prima, vel ſecunda, vel tertia ſpecies ſit. Si continua eſſentialis, an cauſus, an lipyria, an hemitriteus, an typhodes, an aſſodes, an terciana, an quotidiana: an quartana affligat. Si verò febris ſymptomaticæ dominatu tenetur æger, æqua animi lance examinandum eſt, an per congeſtionē ob partis imbecillitatem, an per affluxū, ſiue per deſtillationem, ſiue per palindromen genitum, ſiue per anaropē, ſiue per catarhopem ſic inuehatur, an verò pars labe & corruptela confli ctetur. Hæc eadem methodi veſtigia in affectibus partium ſunt tenenda, vt ſi dolor capitis vrgeat, ad vnguem diſtinguendum eſt an cephalea, à qua cauſa contrahatur, & quam cerebri partem obſidione cingat. Si melācholia, an hypochō-

driaca

driaca, an corpus vniuersum, an cerebrum tantũ occupet. Si apoplexia, an debilis, an fortis: si conuulsio, an tetanos, an emprosthotonos, an episthotonos: si inflãmatio oculi, an taraxis, an ophthalmia, an chemosis: si angina, an vera, an notha: si pleuritis, an vera an falsa: si phthisis, an à destillatione maligna, an ab vlcere pulmonis, an à spinali medulla proficiscatur. Si icterus, an felleus, an criticus, an hepaticus, qui aut ab obstructione, aut inflammatione, aut scyrro ingeneratur. Si hydrops, an ab interturbata, vel priuata vel abolita functione oriatur. Magnitudo verò seu efficacitas morbi ex symptomatũ magnitudine, mos ex malitia, & partis affectæ cõditione, motus ex certis excandescentiæ periodis innotescit. Porrò in vera morbi historia accuratè perpendendum est, an sit acutus, vel longus, recens an inueteratus, an epidemius, an primarius vel secundarius, an essentialis vel symptomaticus, an bene, vel malè moratus, an vniuersalis, an particularis, an primum inuadens, an alteri succedens, an simplex vel compositus. Sequitur ordine causæ scaturigo, que vel est euidẽs, seu externa aut interna: hæc existit vel antecedens, vel continens, proprijsq; signis sese exhibet. Cõtinens verò ab anteceden-

te, aut ab aëris vitio, aut ab incauta victus ratione, aut partium internarum cõtagione genita, vel primam, vel secundam vel tertiam corporis regionem obsidet. Primùm studiosè iuuestigandũ est an humor sit crudus, vel leuiter vel multum corruptus, qui in pristinam bonitaté redire non possit, an facilis vel difficilis, an erodens vel lenis, an crassus vel tenuis, an paucus vel multus, an syncerus, vel cum sanguine mistus, recens vel inueteratus morbi formam semper inferens, an vagus, vel adhærens, vel cũ obstructione vel tumore, an vitiosus, an corruptus humor cum alicuius partis corruptela, an cõmitetur plethoram vel cacochymiam. Adhæc plurimùm interest cognoscere vbi causa morbifica localem habeat generationem, fugacem cum simplici & parua intemperie coniunctam, vel obfirmatam & inueteratam, in quibus sedibus stabuletur, quam viam affectet, & in quas partes proclinatas omne onus recumbat. Sicuti autem vnumquodque corpus, sic vnaquæque pars suos manes & suam noxam patitur. Symptomata verò supersunt, quæ in functionibus læsis, aut excrementorum vitio, aut simplici corporis affectu consistunt, suapteque natura & propria vniuscuiusque significatione

conspi-

conſpicuè ſe detegunt. Sequuntur ordine indicationes, quę ſecundum naturam exiſtunt, vtpote peculiaris ægri temperies, natiua cõſtitutio vel acquiſititia, vel ab inſtituto vitæ ſic comparata, vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, vel obeſa vel gracilis: plethorica vel mediocris, rara vel denſa, languida vel robuſta: quę viſu, tactu & ratione dignoſcitur: nec non ætas, ſexus & aliæ id genus, ſine quarum exacta perſpicientia tutò medicinã facere & ſyrmeſmum adhibere non poteſt medicus. Præterea non ſunt negligendæ indicationes præter naturam, ſuo loco iam copiosè deſcriptæ, & ſine quarum ſedula obſeruatione irrita ſunt curationis pręſidia. Quod ad prognoſin ſecundam vel ſiniſtram attinet: morbi magnitudo vel malignitas, cauſæ vehementia vel contumacia, ſymptomatum feritas, partis affectæ conditio, dignitas & neceſsitas ſunt cum viribus, cruditate vel coctione materiæ morbificæ conferenda, an natura morbi, an morbus naturæ ſit potẽs. Fida enim præſagia fiunt, ex his, quæ neceſſariò accidunt naturæ & morbi ratione & robore: ſiquidem vis naturæ ex functionũ integritate vel vitio, aut in partibus principib. aut alijs, quæ ab his propagantur, aut alijs, quæ adminiſtrationem

peculiarem obtinent, consistente dignoscitur: morbi verò natura ex specie, magnitudine, more, motu eiusdem, causa morbifica, vt materia cruda vel cocta innotescit. Quæ autem non necessariò contingunt in crisi & solutione morbi sunt animi affectus, vt vigilia, tristitia, quæ iudicium interturbant. Eodem negotio tanquam ex alta specula prouidendum est, ex quatuor morbi, temporum, cruditatis & coctionis crisis, ad diem crisis & excretionis signis, quis & qualis sit morbi exitus. Morbi enim ob qualitatem materiæ morbificę, crassam vel tenuem quantitatem, paucam vel multam virium effœtationem, vel robur, & cutis meatus reseratos vel occlusos aut excretione, aut diuturna coctione, aut metastasi seu commutatione terminátur: siquidem febres acutæ ex bilioso humore, quãtitate mediocri contractæ in corpore vegeto, poris apertis & cælo calido per excretionem soluũtur. Vt enim vnumquodque animans proprium vitę tempus: sic vnus quisque morbus peculiarem terminum nãciscitur, nisi hic à medico malè curante, & ægro delinquente interturbetur, aut humor sit turgens, qui orgasmo quodã in partem aliquam principẽ irruat: humorum enim aliquam partem occupantium

certæ

certæ prænotiones: vagantium & furentium, qui in aliquam partem principẽ impetu decumbere possunt, incertæ omninò existunt. Febres verò acutæ ex humore crasso & multo profectæ in viribus elanguescentibus, cutis densitate & constitutione frigida ob insignem morbi efficacitatem, & contumacem materiæ morbiferæ sequacitatem per coctionem sensim, aut per metastasim, aut per exitialem catastrophem iudicantur. Cùm enim ad magnitudinem morbi, aut ad potẽtem causam aut ad partem principem affectam virium infirmitas accedit res ægri sunt in deteriore & angusto loco. Ad hæc quò plures affectus ægrũ immaniter exercent, tantò magis aliquid sinistri portendunt. In hoc negotio nõ sunt negligenda peculiaris similitudo & dissimilitudo huic cõtraria, quæ in colore, charactere, mole, motu & functionibus singularum partium versatur. Quinetiam medicus insignis decretorijs & excretionis impetu sagax & prouidus esse debet: quæ quidem peritos delectare, ignaros deterrere solent. Cæterùm medicus non modo certum iam nati morbi euentum præsentire, sed etiam nascentis & imminẽtis minus obscura signorum significatione instantem insultum præuidere

debet, non aliter quàm nautæ futuram cæli tempestatem pręcurrentibus signis prę-sagiunt. Etenim cacochymia, cachexia, plethora, capitis grauitas & dolor, obmurmurantes aurium sonitus, pulsatio temporum, lachrymæ & caligines oculorum iniussæ, palpebræ intumescentes, odoratus hebetior, sudor vndique diffluens, pruritus, lingua crassescens, frequentior expuitio, lassitudo spontanea, vigiliarum improba fatigatio, suffocationum anxietas, sitis insolens, ex somno labor, animi anxietas, ventriculi dolor, inflatio, oris amaror, lumborum & spinæ grauitas, dolor, excretiones nõ naturales & id genus alia signa instantes morbos significant: quibus præcautione, q̃ aut in alteratione, aut pharmacia, aut phlebotomia cõsistit, statim occurrendum, est vt integra sanitas redeat postliminio, sine qua eximiæ animi dotes & præstantes corporis gestiones splendere nequeunt. Quocirca nihil sibi reliqui faciet ad omnem diligentiam medicus, vt ex natura, causis & effectibus vniuscuiusq; morbi & aliorum signorum significatione suprà commemoratorum de opportunis & legitimis remedijs cogitet, vel deploratos ægros curandos non suscipiat, & de certo morbi exitu pronunciet. Superest therapeutice

peutice seu medendi methodus, quæ consistit in decenti qualitate, quantitate, vsus modo, & vtendi occasione, phlebotomiæ, pharmaciæ & diętę, sumptis indicationibus à specie, magnitudine, more & motu morbi. Sicuti equidem ex facto ius, sic ex morbi cognitione curatio dependet. Sunt pręterea duo profligandorum morborum lumina, nempe methodus & prudentia, de quibus obiter hîc disserendum est. Tria verò sunt vniuersalia celeberrima præsidia, quorum duo materias communes excludunt, nempe purgatio, cacochymiam: vacuatio plethoram substrahunt: diæta verò virium conseruationem spectat, aut intemperiem alteratione corrigit & emendat. In phlebotomia non modò magnitudinem morbi & virium robur, sed etiam naturam corporis, humoris & cæli summa religione animaduertere debet medicus. Nam qui sunt corpore raro donati, & qui regionem ad meridiem spectantem incolunt, paucam & raram sanguinis missionem ferunt. Quæ enim lege naturę sunt commoda, ex euentu vt plurimùm sunt incommoda. Ad hæc singulari iudicij trutina examinandum est, qua vacuatione vnaquæque plethora demenda est: si quidem plethora pura, tutissimè: impura, non æquè tuto tol-

litur:impura enim calida, audacter: melancholica parcè: pituitosa, parcissimè substrahitur. Plethora verò ad vires, quæ nec vasa disrumpere, aut calorem obruere potest, cùm tamẽ imbecillas vires premat ne qua putredo succedat, vacuatione demitur, quæ tantum relinquit, quantum natura facilè moderatur. Quinetiam in hoc plurimus sit medicus necesse est, vt studiosè obseruet, quos & in quibus morbis per aphæresim, id est vniuersalem, & epaphæresim, id est, particularẽ vacuationem detrahat. Pharmacum verò peculiari vniuscuiusq; naturæ qualitate & quantitate humoris peccantis, & causæ morbificæ, semper habita virium ratione, analogum esse debet. Vt enim corpus cacochymum robustum potione medica leuatur: sic imbecillius simul cum pharmaco tollitur. Quare in virium infirmitate pueris clementiora: natu grandioribus & vegetis validiora & efficaciora sunt exhibenda præsidia. Vtendi verò modus pro inclinatione naturę, ætatis, materiæ morbificæ, morbi & meatibus patentioribus, commodioribusque: occasio verò pro eiusdem morbi motu instituetur. Interim præterita causa à medico semper est expellenda, præsens submouẽda, & futura prospicienda, Quæ cùm ita sint vbi

humor

humor exuperat vel deficit aut qualitate, aut quantitate, aut commutatione, aut cõnexione praua, ant putredine, studiosè ꝓcurandum est quale, an simplex vel compositum: quantum, quàm validum, per quę loca conuenientia, qua ratione, quo ordine, qua forma, quo tempore, & quàm diu corpori, aut parti adhibendum sit. Porrò diæta virium rationem respiciens, vel est vniuersalis, quæ secundum quatuor morbi tempora: vel particularis quæ in perspicuis accessionum inducijs administratur, iureque & loco instituitur, vt iure in exhausto & virium effœtatione: loco in accessionum intermissione. Tria profectò sunt ex quibus victus ratio sumenda est, primum ex viribus, secundum ex morbi constitutione, tertium ex accessionum particularium prænotione. Siquidem de cibo vereri oportet in paroxysmis, & in periodica naturæ perturbatione, vt in accessionibus colicis, doloribus capitis & aliarum partium. Ea autem cautione & religione nutriendus est æger vbi facultas præceperit & morbus non prohibuerit, ne à pepseos aut pepasmi penso distrahatur natura. His ita stabilitis quo pacto hęc p̄sidia ritè sint adhibenda strictim & obiter discutiẽdum est. Therapeutices, seu curandi methodi a-

lia est præcautio, quæ non morbũ, sed causam morbi spectat: alia est curatio, quæ affectum vrgentẽ oppugnat. Præsens autem seu vrgens vel est essentialis aut symptomaticus: essentialis verò vel est simplex, vt acutus, peracutus aut extremè peracutus, primarius, vel secũdarius, vel compositus. Symptomaticus autem aut ab inflammatione, aut à partis corruptela, aut à putridis humoribus circa eam congestis proficiscitur. In morbis acutis victus tenuis: in peracutis tenuior: in extremè peracutis tenuissimus: in longis, plenus instituendus est. Quantitas huius ex qualitate, copia & numero ducta, pro virium robore, & morbi constitutione præscribetur. Vtendi modus ex qualitate, copia, numero, cibo parũ vel multùm nutriente, longiorib. vel breuioribus interuallis sumpto decernetur. Qua parte autem natura conflictatur, hac illi sic opitulandum est, vt viribus alimentorum pepsi & exhausto, opportunè succurramus, & morbo ferociẽti occurramus. In morbis peracutis & extremè peracutis, qui vehementer, celeriter & continenter mouentur, & quando natura statim erit in procinctu protinus ad phlebotomiam cõfugiendum est, quæ portionem causæ morbificæ exhauriat. Pharmacia verò tunc est

suspe-

suspecta, quæ febrem auget, & ad excandescentiam proritat, viriumque robur infringit. Morbi autem qui lento gradu procedunt in hisq; lugent sub pondere vires, phlebotomiæ & pharmaciæ presidijs paulatim per epicrasim materiam peccantem demoliri operepręcium est. Interim plurimùm blandis medicamentis seu minoratiuis humores in prima corporis regione stabulantes sunt excludendi, sensimq; exturbandi. Etenim in morbis longis à leuioribus semper est auspicandum, certamq; qualitatem, quantitatem, vsus rationem & occasionem præparationis sumptis indicationibus à qualitate, copiá, situ & motu humoris instituere semper decet; quod in singulis morbis, siue magnis siue paruis æqua lãce examinandum est. Vt enim certus temperamentorum in corporibus, sic in medicamentis ordo perpendendus est, vt morbis paruis blandiora: magnis validiora præsidia adhibeantur, vt sunt pyrotechmia extracta, quæ Gale. in lib. de theriaca ad Pisonem approbat & parat. In alijs verò, in quibus est breuis historia, statimque orgasmus aut eclampsis adest, moram nullam postulat morbus, protinusq; adhibenda sunt sine cunctatione remedia. Porrò in varia multorum affectuum syn- syndrome

drome miſcenda ſunt quæ humorum pu-
tridorum varietatem & ſingulas partes af-
fectas ſpectant, ſicque topica remedia me-
thodica curatione ſunt adhibẽda. Eodem
negotio procurandum eſt ne per metaſta-
ſim morbus in alium affectum mutetur: vt
diaria plethorico corpore exiſtente in ſy-
nochũ: cacochymo, in febrem putridam:
ſicco, in hecticam promptè tranſeat. Huc
accèdit quòd in morbis ſymptomaticis, &
in legitima febrium ſymptomaticarum cu
ratione duo veniunt accuratè ſpectanda,
fluxio & inflammatio: fluxionis ſeu palin-
dromes præſentiſsimum præſidium eſt re-
uulſio: fluxione ſedata inflammationis cu
ratio ſuo loco tradita tentanda eſt. Cùm
verò poſt vehemẽtiam vel diuturnitatem
morbi intemperies, vel imbecillitas & hu-
morum reliquię vt plurimum ſuperſunt:
intemperies ſeu diatheſis morboſa primo
loco emendanda eſt, ne nouam cacochy-
miam & luxuriantem humorum prouen-
tum progignat: ſiquidem ventriculus in-
temperatus & imbecillus malá chyloſim:
ſicuti hepar intemperie & imbecillitate af
fectum, vitiatam hęmatoſin celebrat, inde
ex vtriuſque partis vitio cacopragia emer-
git, ex qua copia humorum recidiui affe-
ctus ſoboles ſuccreſcit, Vires autem recre-
abun-

labuntur alimentis euchymis, cardiacis & hypnoticis, ſumptis indicationibus à natura humoris & cęli: nam temperamento, humori & cęlo calido, liquida: humido, ſicca conueniunt. Humorum reliquię blandis pharmacis excluduntur ne ſuperſtes cacochymia affectum priore deteriorem gignat: ſyncerum autem niſi vas, quodcunque infundis aceſsit. Porrò vt hęc omnia votis reſpondeant & in vſum reuocentur, deſideratur prudentia, ad quam recta ratio, cautio & prouidentia referuntur. Recta ratio, fit quando vniuerſa theoremata particularibus & ſingularibus ad amuſsim accommodantur. Non enim authore Galeno ſatis eſt communem naturam agnouiſſe: ſed etiam operæpreciũ eſt priuatam & peculiarem exactè cognouiſſe, quę ex rara vel denſa conflatur: quippe hoc ex frigore & materia craſſa, illud ex ea tenuiore & vi caloris magis defęcata cõponitur. Prouidentia verò eſt, quę certis ſignis futuras res auguratur atque præuidet, ſicq́ue ſuccurrit medicus vt in angina & in muliere circiter vigorem paritura, magna fore ſymptomata & virium inſignem effœtationem proſpicit, vberiorem & liberaliorem ante hoc tempus victus rationem decernit, vt futurę virium iacturę conſulat. Nam æger

in anginæ vigore nihil prorſus deglutire poteſt: mulier verò in partu iam viribus fractis & proſtratis ſtatim ſuccumberet. Cautio verò fit, quando medicus in hoc totus eſt vt ſingulari iudicij acie morbos diſtinguat, incognitos pro cognitis non habeat, & eoſdem curatu difficiles pro facilibus amplectatur, & praua pro probis in ęgrorum perniciem perperam ſuſcipiat, pretiaque ob ignorantiam ferat. Quare hactenus dictum eſt de particulari remediorũ vſurpatione, & methodo conſultationis medicæ, quæ in decenti diętæ minoratiuorum ſeu blandorum medicamentorum vacuationis, præparationis & purgationis, qualitate, quantitate, vſus ratione & occaſione ſumptis à ſpecie, magnitudine, more & motu ſingulorum morborum indicationibus poſtea eluceſcet.

De *curatione diariarum* *Cap.* II.

CVM medendi methodus ſit tuta & tẽpeſtiua remediorum applicatio, certus theorematum, verorum, vtilium, & inter ſe conuenientium ordo, vniuerſalis & ordinata, rationiq; conſentanea curandorum morborum via, quæ omnium ſingularum cõmunis euadit, hęc eadẽ in ſingularum febriũ curatione nunc excutienda venit

nit exordio ſumpto à diaria, quæ in aerea & ſpirituoſa ſubſtantia excandeſcente reſi det. Communis autem materia & indicatio diariarū eſt aerea ſubſtantia præter naturam incaleſcens, & à cauſa procatarti ca recenti originem ducens. Prima igitur indicatio à morbo, & à ſimplici contra naturam calore, qui refrigerantibus & humectantibus præſidijs ſumptis, & admotis legitimè & cōmodè profligatur. Quinetiam ſumitur indicatio à cauſa, pro cuius varietate particulares & diuerſæ curationis indicationes ſeſe offerūt. Nam quamuis omnes febres diariæ ex ſpirituoſa ſubſtantia accenſa cauſas trahant, vno die deſinant, & refrigerantibus, humectantibuſque ſubſidijs indigeant; tamen pro cauſarum varietate particulares & diſsimiles emergunt curationes. Vnde cùm Galeni aduerſarij non aſſequerentur, primam indicationem à morbo, nec nō præcipuam, vtilemque à cauſa ſumendam eſſe, in varias errorum ſalebras inciderunt. Indicatio enim prima & vniuerſalis tanquam ſuſcitamentum à morbo ſui ablationem per contrarium indicat. Siquidem indicatio prima, quæ à morbo depromitur, ſui ablationem ſine aliqua rationis & cogitationis ope, tanquam aliquid nocēs compræ-

Defenſio Galeni.

hendit Indicatio verò à cauſa ſumpta aliquid magis ſpeciatim & vtile, & quid molliendum ſit, certò indicat. Cùm enim ſit comprehenſio nocentis & iuuantis, ſenſui communi & intellectui hæc ſeſe protinus offerunt, cogitationiſque & rationis obſequio minimè opus eſt. Nam authore Gale. bruta etiam animantia primo & peculiari intuitu conſequuntur vtilia, & noxia fugant. Nemo neſcit, quòd ſi ſpina aliqua digito infixa ſit, ſine cogitatione, ratione, & arte ruſticus ſtupidus ſola indicatione à comprehenſione nocentis deriuata, hanc eandem ſpinam offendentem ſine vllo rationis & conſultationis diſcurſu euellit. Itaque his ita primum ſtabilitis omnis diaria quatuor remediorum generibus expugnabitur.

Victus ratione, nempe alimentis natura humidis & concoctu facilibus, quæ pro varijs cauſis, viribus, & conditione ægrotantis tutò decernuntur. Qualitas enim victus, vt ſupra demonſtratum eſt, à natura morbi, viribus & natura ægrotantis inſtituitur: ſicuti eiuſdem quantitas pro magnitudine affectus, viribus, & ætate ægri, & pro acceſsionis inducijs exhibetur. Primùm qui animi affectibus, labore, vigilia, mœrore, timore, & frigo-

re ſe-

re febricitant, cibis boni succi, & vino oligophoro diluto sunt recreandi. Qui verò febre corripiuntur ex dolore, furore, & inguinum inflammatione, à vino vt placuit Græcis & Arabibus sunt arcendi. In quorũ colonia censendi sunt, qui repletione laborant. Qui porrò febricitant ex ira, & ardore, refrigerãtibus; qui frigore in febrem diariam inciderunt, moderatè calfacientibus sunt alendi: sicuti qui ex vigilia febricitant, somnum conciliantibus recreandi veniunt. Quinetiam quantitas præscribetur pro ægri natura, & varijs febris causis. Plethorici autem inguinum inflammatione & ebrietate affecti, tenuiori victus ratione sunt nutriendi. Græci & Arabes in animi affectibus, vt in cura, timore, mæstitia, & lætitia vinum non denegant, sed ab eius vsu arcent, qui ex ira & dolore febricitant. Occasio verò cibi porrigendi præcipuè sumitur ab accessionis inducijs: nam sumitur indicatio ab accessione & motu morbi non tanquam decernens, sed tanquam prohibens, quæ tunc temporis nihil teste Hippocrate, dandum esse inhibet. Quocirca exhibendus est cibus in declinatione febris. Sed cùm necessitas vrget ad curationem extraordinariã statim confugiendum

eſt præcipuè in his, qui febricitant ex fame, labore, & triſtitia, quibus in principio febris cibus non eſt denegandus.

II. Cauſam abigẽtibus, quæ Galeno lib. 10. Method. cap. 2. duplex eſt, aut cùm cauſa effectrix abijt, vt exuſtio à ſole, quæ mora ſub vmbra, alimentis alterantibus, nempè refrigerantibus, & humectantibus obliteratur: altera non effectrix cauſa adeſt, non ita propria & exquiſita cenſetur, vt febris ex inguinum inflãmatione contracta, quæ teſte Aetio ſanguinis miſsionem poſtulat. Porrò febres in quibus cauſa adhuc comitatur, contrarijs præſidijs propulſandæ veniunt, vt meatuum denſitas, aperientibus & diſcutientibus, febris à labore profecta, quiete, à vigilia nata ſomno: ſicuti mœror, animi tranquillitate, lætitia, mœroris auxilio abigitur. Præterea Græci & Arabes cenſent diariam plurium dierum, diſcutientibus, & ſanguinis miſsione curandam eſſe.

III. Prohibẽtibus ne diaria in aliam febrem mutetur cæcos cutis meatus dilatando, vapores reſoluendo, & calorem alterando balneis & frictionibus. Febres autem omnes diariæ teſte Galeno libr. 1. ad Glauconem balneis ſunt profligandæ. Qui enim ex cutis denſitate, aut inguinis inflammatione

tione febricitāt, aëre balnei ſupramodum iuuantur. Reliquos omnes quàm citiſsimè ab aëris occurſione ſemouere oportet. Oleo verò multo tepido & manibus mollib. perfricare quàm plurimum, ſed eos præſertim, qui ex labore in febrem incidunt, ſecundo loco, qui meatus habent obſtructos, ac tertiò qui inguinum inflammationem patiuntur, quos nimirum ſæpius lauare expedit: tamen vt idem teſtatur Galen. lib. 8. Methodi vlcus, quod bubonem inuexit, curandum eſt antequàm ſit tutus balnei ingreſſus. Præterea diaria plurium dierum non ſolū ſanguinis miſsione adimenda eſt, ſed cibi & medicamenta ex his, quæ detergunt, exhibebuntur. Cùm enim humorum exuperantia ſit cauſa effectrix, vt diutius protrahatur febris, primum vacuatione tanquam præſentiſsimo remedio ſuccurrendum eſt. Deinde humorum craſſities extenuantibus, lentos detergētibus, & cutis denſitas rarefacientibus radicitus extirpantur. Meſue febricitantes triſtitia, oleis frigidis & humidis aſtrictione carentibus, nempe oleo violaceo & è nenuphare curandos eſſe cenſet. Ad hæc iubet febricitantes labore & calore balneis aquarum dulcium oleo ſimul permiſto lauandos eſſe. Qui verò febricitant ex quiete,

balneis discutientibus ad sanitatem sunt reuocandi, si eidem fides adhibenda videatur. Dexter porrò balneorum vsus ea cautione est instituendus, vt sine horrore in declinatione febris impuris humorib. in prima corporis regione minimè scatentib. catharro neutiquam vrgente, & parte principe non affecta administretur.

IV. Symptomata emendantibus, vtpotè sitim demulcentibus, quæ syrupo violaceo, aut iulepo Alexandrino cum aqua cocta mixto imminuetur. Quinetiam portulaca in ore contenta, & conserua rosarum sumpta sitim fallere creduntur. Dolori capitis betonica fronti admota mirificè opitulari censetur. Somnus verò conciliandus erit conserua rosarum fronti admota, vel vnguento populeo carpis manuum imposito, vel fotu lactucæ, maluæ, & violariæ, quò pedes & manus hora somni lauentur. Quamobrem cùm diaria sit exigui temporis, & curatu facilis, raroque ad huius curationem vocetur medicus, plura non dicam, cum etiam Galenus de hac fusissimè scripsit.

De curatione synochi non putris.

CAPVT III.

SYnochus non putris ab exuperanti sanguinis inflammati copia contracta manife-

nifestum sui specimen edit in corpulentis plethoricis succulentis, & rubicundis. Præcipua igitur indicatio à plethora & sanguinis inflammati vbertate sumẽda venit, & quinque remediorum generibus extruditur.

Victus ratione refrigerante, humectante & tenui, vt prunis elixis, hordeatis, panatellis ex pane loto confectis, & ptisana. In legitima autem victus ratione minimè peccandum est, quæ pro virium robore & ægri tolerantia decernitur. Siquidem qualitas à natura morbi, viribus, & conditione ægrotãtis, quantitas ex magnitudine affectus, viribus & ætate, ægri exhibẽtur. Quo equidem morbus acutissimus, eò tenuior victus est pręscribẽdus. Modus vsus alimẽtorũ in hoc versabitur, vt potus actu frigidus, præcipuè instituatur. Superest occasio, quę cibũ eo tẽpore ægris decernendum esse indicat, quo hi vesci consueuerunt. Pręterea placida animi tranquillitas, corporis quies, somnus mediocris, & fuga vini imperentur. Prisana seu aqua hordei, testimonio Arabum, est flatulenta, quę addito & incocto coriandro emẽdabitur. I.

Minuentibus humorem in prima corporis regione congestum clystere potius, quàm pharmaco, ne sanguis ob potionem II.

ſumptam magis excandeſcat. Quamuis autem fæces & humores excrementitij in inteſtinis cumulati febrem ſynochum nõ pariant, & in continente cauſa non cenſentur, hanc eandem tamen non parum augent. Idcirco in hoc laborandum eſt, vt ſemper bellè reſpondeat aluus, humoreſque ſuperuacanei œnemate refrigerante, emolliente, & purgante excernãtur, nempè libra vna decoctionis maluæ, altheæ, lactucæ in qua diſſoluantur caſsiæ recens extractæ, ſacchari rubri ſingulorum vncia vna, & olei violacei vnciæ tres.

II. Vacuatione, nempè ſanguinis miſsione, quæ mutuo Græcorum & Arabum conſenſu vſque ad lypothimiam adminiſtranda eſt, modò vires & aliæ indicationes non reclament, ſique aliqua indicatio hanc diſſuaderet, tunc minori copia per vices repetita opus eſſet. Interim ſanguis ſtatim mittendus eſt, ne pleuritis aut peripneumonia ad ægri perniciem protinus conſequatur, ſynochusque nõn putris repentè faceſſat in putrem. Cùm igitur ſanguis copia exuperet, citò euacuandus venit, quòd natura morbi & vires ægrotantis id perſuadeant. Quantitas verò à primarijs indicationibus nimirum morbo & viribus ægri, & ſecundarijs à temperamento & corporis ha-

tis habitu, nec non coindicationibus ab ætate, cæli ſtatu, victus ratione, vacuatione præcedẽte immodica, vel ſuppreſſa, & ex futura actione læſa depromptis, regioneq́ue calidiore vel frigidiore, vel meridiẽ vel ſeptentrionem ſpectante.

IV. Purgantibus humorem bilioſum drachma vna & dimidia, aut drachmis duabus, rheibarbari electi infuſis & maceratis, aut in ſucco roſarum, aut in ſtillatitio cichorij liquore, aut in decocto cichorij, endiuiæ, oxalidis, thamarindorum pinguium, prunorum, quatuor ſeminũ frigidorum maiorum, & florum cardiacorũ, addendo ſyrupi ex infuſione roſarũ ſeſcũciam, trochiſcorum è caphura parum. Accidit enim vt tenuior ſanguinis portio in bilem promptè mutetur, cuius qualitas pro natura morbi, quantitas pro magnitudine eiuſdem, conditioneq́; & natura corporis, humoris, & cœli ſemper præſcribitur. Galeni aduerſarij hîc obiter reprehendẽdi ſunt, qui hunc accuſant, quòd malè ſcripſerit medicamẽta tota ſubſtantia non forma humores purgare, cùm per totam ſubſtantiam formam intellexerit.

V. Alterantibus & poros aperientibus. Cũ enim ſigna concoctionis apparent, aquæ frigidæ potus ſuffragijs medicorum Græ-



corum & Arabum eſt propinandus, modò æger non ſit infirmo ventriculo. Alioqui ſatius eſſet miſcere cum aqua cocta ſyrupos vel è limonibus, vel acetoſi ſimplicis, vel violaceum, vel conditum ex conſeruis roſarum, oxalidis, nymphex, & puluere diamargariti frigidi comparatum, & ægro exhibere. Prætereà cautiones in propinanda aqua ſunt perpendendæ ex natura ægri frigida, vel gracili, ex parte affecta, vt inflammatione, & abceſſu, & materia adhuc cruda. Quarto die teſte Galeno ad balneum aquarum dulcium ducendus eſt æger, frictioque inſtituenda. Quinetiam ad obtundendum calorem epithemata regioni hepatis & cordis in lib. de compoſitione Medicamentorum deſcripta admouebuntur. Niſi equidem intemperies relicta elueretur, aut recidiuus, aut nouus affectus priore deterior excitaretur. Porro ſi quæ ſymptomata ſeſe offerunt, peculiaribus remedijs minimo negotio corrigentur. Semper verò in hoc laborandum eſt, vt neceſſarius ſingularum partium calor innatus & influens huius ſartor & reparator, quoad fieri poſsit, integrè conſeruentur.

De

De curatione synochi putris CAP. IV.

SYnochus putris, aut ab exuperanti sanguinis fœnore, aut à permistione, vel bi[lis], vel pituitæ corruptæ genita septe præ[si]dijs radicitus extirpatur.

Victus ratione refrigerante & humectante, tenui & non multum nutriente, I. [q]uæ in legitima & tempestiua qualitate, [q]uantitate, vsus modo, & occasione sumẽ[d]orum, admouendorum, educendorum, [&] faciẽdorum artificiosè versabitur, vt aë[r]e, natura, vel industria refrigerante, cibis [r]efrigerantib. veluti prunis elixis, hordea[ce]is, iusculis borraginis, buglossi, lactucæ, [p]ortulacę, endiuię, & oxalidis, panatellis [e]x pane loto confectis, & ptisana, quiete [c]orporis, iucunda animi trãquillitate, & a[l]ijs eiusmodi, quę desumẽtur à natura mor[b]i, viribus & cõditione ægrotãtis. Quanti[t]as ꝑ magnitudine affectus, virib. & ætate [æ]gri variè exhibẽda venit. Quod ad modũ [v]sus spectat, alimenta liquida concoctu fa[c]ilia, & actu frigida sunt porrigenda. Ga[l]enus verè atque sapienter scripsit à carni[b]us assis abstinendum esse.

Humorem minuentibus, vt clystere e- II. [e]molliente, euacuante, & refrigerante supra commemorato, vel vncia vna cassiæ

recenter extracta, & bolo exhibita, præcipuè si prima corporis regio magna humoris impuritate sordescat. Hoc semper ratũ esse debet, vt humor vitiatus in prima corporis regione contentus in principio repurgetur, ne eiusdem humoris putridi colluuies ad maiorẽ perniciem in secundam transferatur, contumaciorque obstructio inuehatur, affectusque ferocior euadat. Ex hisque colligendum est, quòd sanguinis missio purgationem semper antecedere non debet.

III. Vacuatione, nempè sanguinis missione, cuius quantitas pro viribus ægri, temperamento, corporis habitu, & ætate, natura cœli, & victus ratione, vacuationeque suppressa vel immodica præcedente decernitur. Cùm autem sanguinis exuperantia sit præcipua causa prohibitæ transpirationis & putredinis præsentissimum remedium in euacuatione versatur, quæ in principio semper administranda venit, ne in anceps suffocationis periculum præcipitetur æger. Putredinis equidem labes quàm citissimè fieri potest, submouenda est, ne sanguinis moles magis vitium faciat, feritasque affectus magis excandescat. Si vires non ferant sanguinis missionem, quæ ad hypothim am celebratur, tolerabilior repetitio

petitio censetur. Reformidanda est nunc antiquorum ad viginti quatuor vascula vacuatio, quòd singula vasa vncias quatuor contineant.

Apparãtibus humorem nempè crassum extenuando, & lentum detergendo. Obstructio enim causas trahit ab humoribus multis, aut crassis, ad cuius expeditiorem victoriam multi primo loco sunt euacuandi, è vestigio crassi extenuandi, & lenti simul detergendi veniunt. Nam cùm in synocho, aliquando bilis vt plurimũ, aliquãdo rarò pituita, aliquãdo rarissimè humor melancholicus simul cũ copioso sanguine vitium facit, fit synochus, vnaq; sanguis, id est maior portio omnium humorũ ad putredinẽ procliuior euadit, vel alius humor cum exuperanti sanguine putrescit. Itaq; siue sanguis putredinis labẽ induat, tenuiorq; eius portio in bilẽ promptè transeat, siue pituita aut bilis pariter & simul corrũpatur, apparãdus erit humor, vt bilis vitellina alicuius crassitiei particeps, aut alterius humoris comes, incidentibus absque manifesto calore, nimirum syrupis ex acetositate citri, è cichorio cum aquis stillatitijs, oxalidis, endiuiæ, & buglossi. Quinetiam si pituita simul permiscetur, oximel simplex, & syrupus capilli veneris non in- IV.

C

commodè cõmisceri poterunt: sicuti si humor melancholicus (quod rarissimum est) putredinem induit, syrupi è buglosso, è fumaria & è lupulis permiscebuntur. Syruporum dosis vt plurimum est sescunciæ, & vnciarum duarum, & decoctionis vel aquarum stillatitiarum vncias tres non superat. Arabes ad corporis præparationem, decoctum seminis altheæ præscribunt.

V. Purgantibus humorem præparatum in principio & incremẽto, cuius quãtitas ex magnitudine morbi, viribus ægrotãtis, natura morbi & humoris, & conditione ægri æstimabitur. Porrò si humor biliosus exuperat, fiet infusum ex ʒ. 2. reibarbari electi gran. 5. spicę nardi, myrobalanorũ flauarũ confricatarũ, oleo amygd. dulcium ʒ. 3. vel semuncia in aqua cichorij, vel in decocto thamarindorum pinguium, prunorum damascenorũ 4. seminum frigidorũ maiorũ, & trium florũ communiũ expresioni colatæ, addetur syrupi ex infusione rosarũ ℥. 1. & trochiscorũ è caphura ℈. dimidius. Mesues opinatur humorẽ tenuẽ coctione incrassandum esse, ne excernẽdo erodat. Sed si natura & per se tenuis euadit, humor statim repurgandus videtur, ne diuturniore mora quam excretione maius incommodum adferat.

Alte-

Alterãtibus & discutientib. intemperiẽ vi
& imbecillitatẽ à feritate morbi relictã, re-
liquiasq; humorũ, ne recidiuus affectus su
scitetur. Calor.n.febrilis frigidę aquę potu
aut aqua hordei, coriãdri, & glycyrrhizę a-
ctu frigida, aut syrupo ex acetositate citri
simul perfuso obtũditur, exhiberiq; debet
cũ signa coctionis se detegũt, eaq; lege, mo
dò æger sit firmo ventriculo, nullaq; labes
n viscerib. internis subsit. Cõsultius aũt es
et tũc ad tabellas diamarg. frigidi, ptisanę
cũ rosarũ cõserua permistæ, potũ, & epithe
nata accõmodata confugere. Quinetiã cũ
prohibita trãspiratio à meatib. cutis densa
is genita integrã febris solutionẽ remore
ur frictionib. poros aperientib. & rarefaci-
entib. veluti decocto, vel oleo camemeli a-
limetur & reserabitur. Interim habẽda est
emper ratio humoris morbũ cõmittentis.
Nã febris synochus est ex colonia acutarũ
õ ardentiũ, sanguisq;, qui in bilẽ facessit,
ebrẽ mitiorẽ quã ea, quæ ex bile iã diu pu-
rida ingenerat. Vbi.n. bilis vitellina iãdiu
ncalescẽs diutius in corpore immoratur,
ebrẽ vehemẽtiorẽ parit: sed sanguis putres
ens tenui portione fit biliosus, nõ ita cal.
c retorridus, & crassitie melanch. vt ab a-
ra bile profectus febrẽ mitiorẽ inuehere
olet. Prætereà hic obiter notandũ est, qđ

si sanguis in paruis venis putrescit, tertianæ febris naturā redolebit, veluti si in partem aliquam irruat, protinus inflammationem committit.

VII. Symptomata emendantibus, vt sitim & putredinem arcentibus syrupis ex acetositate citri, è limonibus cum aqua cocta sumptis, & conditis ex cōseruis rosarum, nympheæ, & puluere diamargariti frigidi comparatis. Somnus conciliandus erit somniferis sumptis & admotis: fit autem somnus cùm calor à superficie ad cētrum reuocatur, tuncque benigni vapores in cerebri arcem irrepunt. Vnde tunc somnifera instituuntur, quòd his calor intercipiatur, ne in cerebrum conuolet.

De curatione febris hecticæ. Cap. V.

EXimij & periti medici non solùm tutò & iucundè omnem affectum profligare debent, sed etiam in hoc plurimi sint necesse est, vt citò remedia decernant. Quod sedula opera in febris hecticæ curatione, ob præcipitem morbi feritatem, labascentem virium infirmitatem, & exhaustā, permutatamque calidi fixi & influentis substantiam tentandum est, antequam in febrem marasmodem traducatur. Natura enim solo instinctu functiones explet, & mor-

morbum tanquam ſæuiſsimũ hoſtem depellit: ſed liqueſcentem effluuij iacturam ſine oportuna medici ope reparare nequit Hecticæ igitur citra maraſmum, quę aut ardentibus febribus, aut inflammationibus & vlceribus partiũ principum, aut diariæ ſuccedit, quinque remediorum generibus ſaneſcit.

Victus ratione in ſumẽdis, admouendis, educendis, & faciendis, frigidam & humidam vim ſortita. Inſtituendus porrò eſt victus refrigerãs, & humectans, qui alteratũ & inanitum corpus corrigit, & replet, prohibetq́; quæ ſubſtantiã alterare & euacuare poſſunt. Idcirco æger, aëre libero & clementi, refrigerante & humectante fruetur, ſi febrem ſpectas, & ſiccante, ſi vlcus pulmones obſidet. Cùm autem vlcus pulmones immaniter exercet, calorq́; præter naturã & febrilis comitatur, aër frigidus: ſed ad glutinãdum vlcus neceſſariò ſiccus deſideratur. Veſcetur cibis concoctu facilibus iuſculis euchymis, & multum ſucculentis, ut gelatinis, conſumptis: inſtaurantibus, hordeatis, panatellis, iuſculis cancrorũ fluuiatilium, & alijs eiuſmodi, quæ corporis emaciati iacturam reſarciãt, prompteq́; aſſimilantur. Inter omnia alimenta principatum tenet lac, quod horis quatuor antè I.

pran-

prãdium cũ saccharo rof. sumendũ est, ne vitium faciat, & tandem corrumpatur. Lac porrò primum humanũ & caprillum magis nutrit, asininũ deterget, & bubulũ calfacit, obstructionesq́; protinus inuehit. Alterabuntur verò iuscula, portulaca, lactuca borragine, buglosso, hordeo excorticato, & seminib. lactucæ, portulacæ, & melonum. Quinetiam parabuntur hordeata ex amygdalis recentib. quippe amygdalæ veteres sunt oleaginosæ, calfaciunt, ventriculum subuertunt, & in bilẽ minimo negotio mutantur. Interim motus, vigiliarũ importunitas, & animi affectus vitabuntur, quorum loco corporis quies, animi tranquillitas, & somnus moderatus substituẽtur. Cùm autem vires elanguescunt, sæpius & parca manu cibus ingerendus erit. Potus erit ptisana ex hordeo, passulis, iuiubis, sebesten, coriandro, & glycyrrhiza comparata, aut aqua cinamomi, aut vinum oligophorum aqua dilutum, in qua pimpinella incocta aut infusa fuerit. Itaque ad tempestiuam & idoneam victus rationem decernendam non solùm vires, sed partes affectæ, nempè cor & partium solidarum substantia exactè perpendentur, vt effluuij instauratio & reparatio fiat, quæ quidem est mutatio è mino-

minori quantitate in maiorem. Etenim cum cor calida & ſicca intemperie in febre hectica conflictatur, ſpiritumque vitalem non niſi paucum, parcum & accenſum conficiat: accidit vt hic cum ſanguine calidiore efferueſcens proferat calidum influens, quod in officina cordis excandeſcit & imminuitur, cumque ad cæterarum partium alimentum & vitam deuehitur, ob exuperantem ſingularum partium calorem et imbecillitatem, neutiquam probè apponi, agglutinari & aſſimilari poteſt. Cùm enim calidum innatum ſit ſubſtantia ſemper mobilis, propriaque & peculiari natura ad ſuperficiem deferatur, & alterno motu à ſuperficie ad centrum modice calfactum et auctum moueatur tuncque hoc bene temperatum caloris et frigiditatis particeps ſuapte natura ad partes externas functionum obeundarum gratia inuolat, et ob temperiem minimè exhalat, alternoque motu ad reſarciendam penuriam et alimentorum concoctionem intrò reuocatur. Vnde mirum non eſt, ſi in febre hæctica nimiopere accenſus permutatus, et imminutus calor ille fluens, in partibus internis abſumatur, et in externis partim diſsipetur, immutetur et

& eadem opera non elaboretur. Siquidem intemperatum & imminutum, neque intro neq; foras naturaliter impelli poteſt, ſed protinus permutatur & exhauritur. Hinc admirabilis temperaturæ ſingularũ partiũ harmonia diſſoluitur: pręclara concoctionis œconomia interturbatur, fibræ ad appoſitionem, agglutinationem & aſſimilationem neceſſariæ in vẽtriculo neutiquam procreantur, calor influens excandeſcit, confertim euolat, ſingularumq́ue partium, earundem neceſſarium nutrimentum deſideratur. Quocirca ſiue calidum primigenium, ſiue influens alterantibus, refrigerantibus & humectantibus alimentis indiget, vt quàm citiſsimè fieri poſsit periculoſa vtriuſque iactura reparetur. Porrò in omni affectu ſic authore Galeno alendus eſt æger, vbi facultas pręceperit, & morbus non prohibuerit.

11. Cauſam abigentib. qua ſublata morbus eueſtigio eximitur. In methodica enim & legitima curatione ſemper procurandum eſt, vt tota morbi radix, quæ adhuc altius inhæreſcit, penitus euellatur, ordineq́ue morbus adimatur. Hinc accidit, vt morbi labes non repullulet, nullaq́; ſymptomatũ veſtigia poſtea remaneant. Si enim, exẽpli gratia, inſignis animi affectus vrgẽtius ſollicitat

licitat

licitat, omnibus rationis & orationis lenocinijs eſt demulcendus & cōpeſcendus ne vniuerſa ſanguinis moles nimioperè effernueſcat, calidumq́; innatum permutetur & abſumatur. Si ventriculi infirmitas ſit præcipuum huius mali ſeminarium, fibręque ad apponendum & agglutinandum neceſſariæ in chylo ritè non conficiantur, hæc infirmitas primùm legitima victus ratione vindicabitur, humores exuperantes apparabuntur, præparati repurgabuntur, intemperies emendabitur, & ſimul ventriculus roborabitur. Si vlcus pulmonis à catarrho contrahitur, accōmodatis primùm ſubſidijs, vtpote caput ſiccantibus, reuellentibus, cucurbitulis ſcapulis impoſitis, ſuffitibus & phænigmo principio ſpinalis medulæ admoto ſiſtendus venit. Interim ſi humor exuperat, legitima præparatio procuranda: deinde tempeſtiua purgatio ordine tentanda eſt. Cùm vena aliqua pulmonis rupta eſt, quicquid in pulmonibus continetur primo loco præparādum, ſubinde expectorandum erit. Poſtea vlcus peculiarib. præſidijs & bechicis tergebitur, & eo deterſo carne implebitur, tandemq́; ad cicatricem perducetur: nempè conſeruis & ſyrupis tuſsilaginis, ſcabioſæ, ſaccharo roſato, tabellis è terra Lemnia, pul-

mone vulpis præparati, & suffitibus tussilaginis concinnatis, & puluere tussilaginis siccæ à Dioscoride celebratis. Non qđ pars solida sed talus eius vice regignatur: desideratur enim materia, facultasq; formatrix, quę veluti in fœtus formatione ꝑfecta deest. Præterea si vlcus alicuius partis, & ventriculi hepatis, mesenterij, vteri aut alui profluuij huius morbi soboles sit, illa prius extirpanda videtur.

111 Alterantibus & calorē plus æquo efferuescentem obtundentib. antequam ægri in hecticam marasmodem nō impunè decidant. Est autem alteratio qualitatis exuperantis mutatio, quæ aut intus sumptis, aut admotis remedijs ritè cōparatur, sumpta vel sunt alimēta quorū suprà abundè meminimus: vel medicamēta, veluti syrupi è nymphea, borragine, scabiosa, tussilagine, violaceus, tabellę seu electaria trium santalorum, diatragacantum frigidum, saccharū rosatū, conserua buglossi, & lac asininum: alia sunt admouenda, vt epithemata cordi & hepati imponēda, oleū amygd. dulciū, violaceū, muccilagines psilij, & cydoniorū, & balneū, in qđ primū temperatum: deinde tepidū, & eodē tēporis vestigio in frigidū ingredietur æger, modò ab vlcere pulmonis, aut ab aliqua parte prin-

cipe.

cipe affecta morbus non emergat. Nam testimonio Galeni balnea partibus principibus imbecillis, aut læsis suspecta esse debent. In demolliendo porrò affectu necesse est vt alterātia affectui delendo paria & æqualia sint, mutuaq; remediorū colluctatione pristinæ cōstitutioni restituātur, habita semp morbi & viriū ratione. Duplex aūt est intēperies: alia sanitatis, quæ paululum à media tēperie recedit: altera morbosa, quæ multū ab hac, vt in hectica deflectit vberioreq; alterantiū portione indiget, vt in vernaculā constitutionē fiat regressus. Quinetiā non pauca sunt in hoc affectu sedulo perpendenda, nēpe vt sepè mutētur remedia, quæ in hecticis prōpte incalescunt, & ne astringentia cū frigidis temerè misceātur, quæ frigiditatis vim remorātur & præpediunt. Ex his liquidè patet Paracelsitas nouos thessalos & logodedalos in legitima huius febris, & aliorū morb. curatione omninò cęcutire q quintā & spirituosam essentiā quēuis affectum demere sibi falsò persuadent. Etenim si febris putrida vrget, molestā putridi & corrupti sāguinis labē resarcire nequit: quippe quinta illa ficta essentia spirituosam substātiā fulcire & reficere tantùm posset, simileq; simili quadā peculiari facultate familiare esse solet.

Error Paracelsistarum

Præterea

Præterea febri hecticæ opitulari nequit, quod hæc materia calida cordis & partiū singularum incendium refrigerare, & humidum primigenium exhaustum reparare minimè potest, vt Paracelsus falsò contendebat.

IIII. Purgantibus sensim & partitè per epicrasim ob virium infirmitatem, humorem peccantē, qui aut stabulatur in prima corporis regione, aut circa venas, & aliquam corporis partem vberius & contumacius inhærescit, aut cùm febris putrida simul obrepit, leui pharmaco, vt semuncia vel drachmis quinque caſsiæ fistularis, vel vncia vna & dimidia mannæ electæ, vel scrupulis quatuor, vel drachma vna & dimidia rheibarbari electi infusi in decocto cichorij, endiuiæ, tuſsilaginis, scabiosæ, passularum, iuiubarum, sebestē, thamarindorum, coriandri, hordei, & glycyrrhizæ, addito syrupo violaceo vel capillorū Veneris. Siquidem simplici affectui simplex curatio rite congruit. At cùm morbi sunt impliciti partim consentientes, partim dissentientes, quales sunt hectica & putrida ab hoc affectu auspicanda est curatio, sine quo alterius sanatio consequi nequit, aut cuius curatio alteri neutiquam incōmodat. Tamen vrgentiori affectui altero non neglecto

cto, extraordinaria & illegitima quadam curatione ſuccurrendum eſt, qui quamuis ſit diuturnior, ob premẽtem neceſsitatem tutior & ſecurior euadit. In legitima verò curatione febri hecticæ & putridæ eodem negotio occurrimus, ſed ea lege vt purgatio hecticę neutiquam incommodet, vires non proſternat, calorẽ plus æquo efferueſcentem inclementius nòn augeat, & neceſſariam ventriculi concoctionem non labefactet. Si obſtructio deliteſcit, humores craſsi attenuantur, & lenti iuſculis & iulepis accommodatis detergẽtur. Interim habenda eſt ſemper virium ratio, ſtudioſeq́; prouidendum eſt, an hæ ſint vegetæ, vel deteriores, eademq́ue opera pars princeps affecta nempè cor roboretur, ne huius vis elangueſcat, & diſsipetur. Cæterum qualitas medicamenti pro natura morbi, quantitas pro magnitudine & viribus ægrotantis ſemper decernetur, in hocq́; plurimus erit medicus, vt bellè reſpondeat aluus.

Symptomata delentibus, quæ ſi immaniter excruciant, vires proſternũt, & neceſſariam ventriculi functionem conuellunt, ad eorum curationem præcipiti celeritate properandum eſt morbo pauliſper intermiſſo, nõ quatenus ſymptomata, ſed quatenus periculoſum viriũ & vitę diſcrimen V.

impendet. Nã morbi in partibus, causæ in humorib. symptomata in functionib. resident, quę ob vrgenté necessitatem certa & peculiaria exposcunt remedia. Quamuis dépto morbo symptomata protinus & simul euanescũt. Id genus sunt alui profluuiũ, dolor, sitis, deiecta appetentia, animi deliquiũ, & vigilia. Cũ emergit immoderatum & molestũ alui profluuiũ, cum deiecta appetentia vẽtriculus firmandus & roborandus erit, sumptis cibis euchymis gelatinis, pressis, consumptis, instaurãtibus cortice citri conditi, myrobalanis cõditis, diamargarito frigido, puluere coralli rubri, cornu cerui, & terræ lemniæ, necnon admotis, oleo mastichino, myrtillorũ cum puluere rosarum, & nucis moschatæ, sacculis, & epithematib. peculiarib. Si verò causas trahit à destillatione cerebri primũ fluxioni, deinde ventriculo roborando diligẽter studendũ erit. Cum dolor vrget, anodinis & doloré demulcentib. opitulandum est. Cũ fatigat sitis sitim minuentib. & fallentibus, vt syrupo violaceo, è limonibus occurrendum erit. Si animi deliquium irrepit pro varia causarum occursatione propulsabitur, vtpote in restauratione spirituum & copiosiore euacuatione fulciantur, & reficiantur vires,

instau-

instaurantibus, gelatinis, preſsis, iuſculis, vino, odoribus ſuauibus & corroborantibus, ſicuti pulueribus, margaritarum ſplendidarum, raſuræ eboris, diamargariti frigidi, ligni aloes, cornu vnicornis, ſeminum acetoſæ, citri, confectione alkermes, ſyrupis è limonibus, & acetoſitate citri.

Facies porrò inſpergetur aqua roſarum, niſi adſit moleſtum alui profluuium. In reſolutis ſpiritibus abſtinendum eſt à frictione. Si oriatur à copia & craſsitie, humorũ frictiones mirificè proderunt, haud aliter quàm ſi maligni humores hoc vitium pepererunt, alexipharmaca & frictiones vniuerſi corporis decernentur. Somnus conciliabitur, ſyrupis è papauere, & nymphęa, è violis, diacodio ſumptis cũ cocleari vel aqua lactucæ, addito ſimul ſcrupulo dimidio diamargariti frigidi. Ad hunc & eundem ſcopum frontalia & floribus nymphææ, violarum, oleo roſato, & aceto componuntur. Græci ad eundem vſum lotiones pedũ & manuũ pręſcribũt. In his porrò adminiſtrãdis habenda eſt ad vnguẽ temperamenti, humoris, & ætatis ratio. Nam humidi, & pituitoſi, & ſenes, qui à priſtino habitu, longius recedunt, cũ eodem morbo conflictantur, validiora

refrigerantia, ſed pauciora & frequentius repetita poſtulant. Vbi autem maraſmus anxiè torquet, qui excitatur cùm partes ſolidæ, membranoſæ, & fibroſæ ſimul exareſcunt, nullo pręſidij genere reſarciũtur, in hocq; incumbendum eſt, ſi aliquis ſpei relinquitur locus, vt cibis euchymis & frequentiùs ſumptis tantùm reficiantur ęgri. Interim medicum prudentem & prouidũ in hoc ſe gerere ſic decet, vt celerem & funeſtum exitum neceſſarijs denunciet. Sequitur ordine curatio febrium, quæ in putrido humore reſident.

De curatione febris continuæ. *Cap.* VI.

FEbris continuæ curatio ſeptem præſidiorum capitibus cõtinetur. Victus ratione, quę pro varia affectus ſpecie, diuerſa temporis conditione, & viribus ægrotantis variè decernitur.

1. Cautio enim adhibenda eſt, vt in febre colliqueſcẽte, cauſo, & lipyria victus, multum refrigerans & humectans inſtituatur: cuius generis cenſentur iuſcula lactucę, oxalidis, endiuiæ, & portulacæ, addito ſeminum melonum, lactucę, & papaueris albi nodulo: quibus etiam ſucci limonum, citri & mali punici rite admiſcentur. Hoc nomine Hippocrates præſcribit in febre arden-

ardente aquam coctam, & in febre colliquente ptiſanæ cremorem: mediocris potus eſt ſalutaris in omni morbo liberalior noxius, qui naturam à ſuo munere auocat, ptiſana parari poteſt ex hordeo decocto, ſeminibus coriandri, lactucæ, cucumeris, & radicis glyccyrrhizæ, cui tantillum ſantali citrini ſimul miſceri poterit. In febre aſſode ab humore acri & bilioſo tunicis ventriculi infarcto contracta, hordeata ad detergendum non ineptè exhibebũtur. In cardiaca febre ex maligno vapore genita ſemina citri & acetoſæ iuſculis & ptiſanæ permiſta eximiè conferre poterunt. In febre quotidiana continua cibus humectans, ſed aliqua ex parte incidens & extenuans videtur eſſe porrigendus, vt panatella & mulſa, quam minimè improbarunt Græci. Cæterùm legitima & opportuna viuendi lex à natura & vigore febris, ægrotantiſque viribus eſt decernenda. Quò enim acutior & breuior eſt morbus, eò tenuior victus ratio eſt præſcribenda, præſertim vbi vires non reclamẽt. Etenim cùm elangueſcunt vires, paulò plenior eſt exhibendus victus, omniq; ope enitendum & arte ſic opitulandum eſt, vt fulciantur vires, ſine quarum obſequio nihil niſi fruſtra moliri poteſt medicus. Por-

rò quantitas ſumetur ex natura & vehemẽ
tia febris, viribus, & ætate ægrotantis, &
quatuor morbi temporibus. Siquidem in
principio tenuis victus: in incremento tenuior: in vigore tenuiſsimus exhibendus
venit. Vigor enim per accidens indicat tẽpeſtiuam victus rationem, per ſeq; prohibet tunc nihil porrigendum eſſe, ne natura in ſæuiore affectus excandeſcentia à neceſſario concoctionis & excretionis munere reuocetur. Interim in morbis acutis,
tenuis: in peracutis, tenuior: in extreme
peracutis, tenuiſsimus victus eſt offerendus. Porrò ſatietas poſt criſim vt teſtatur
hiſtoria de muliere morbo defuncta, quæ
liberalius cœnata, vitabitur poſt interijt.

11. Minuẽtibus humorẽ in prima corporis regione, ne ſordeſcens humorũ colluuies in locũ ſanguinis vacuãdi raptim traijciatur, & ne futuro præparationis negotio in totã corporis molẽ ſparſim effundatur, ſæuaq; ſymptomata inſtigat. Ad hanc rẽ accõmodantur blanda medicamenta, vt ſemũcia vel ʒ. 6. caſsiæ in bolo ſumptæ vel mãnæ electæ ℥. 1. & dimidia, quæ etiã diſſoluantur vel in ſero lactis, & decocto cichorij, oxalidis, hordei, ſeminum melonũ, prunorum, thamarindorum pinguium, & triũ florum cardiacorum cum ſyrupo violaceo

vel

vel ex infusione rosarũ, vel infuso rheibarbari electi: quæ omnia benigna medicamẽta ignorabant Græci, horumq́; loco ellebo ro, peplio, & hiera picra vtebantur. Clysteres ad eundem vsum comparari poterũt ex cassia fistulari, saccharo rubro, oleo violaceo, & decocto quatuor remollientiũ & lactucæ. Tamen à leuiorib. nó est auspicandum, cùm breuis est morbi historia & cùm natura statim erit in procinctu.

Vacuatione quæ ex magnis vasis humo III. rem peccantem febris continuæ sobolem prolicit, omnibusque affectibus biliosis & inflammationibus præsentissimum censetur esse remedium, præcipuè vbi plethora comitatur. Natura igitur seu magnitudo febris & viriũ robur sanguinis missionem suadent, quę in principio administrabitur antequã vitiosa putredinis labes inualescat & facultatum attritarum firmitas elanguescat, ne etiam pharmacũ postea sumendum turgentes humores impellat.

In plethora porrò ad vasa, ad lypothymiam vsq; sanguinẽ detrahunt Græci, nisi viriũ infirmitas dissuadeat. In plethora verò ad vires paulatim parcius & partitè sanguis effundetur. Cęterũ quantitas sanguinis, ex primarijs indicationib. vtpote natura & vehemẽtia febris, et ęgrotãtis viribus

necnõ secundarijs veluti tẽperamento & corporis habitu, coindicationibusq; simul perpensis, nimirum ętate, cœli statu, victus ratione præcedente, immodica vel supressa vacuatione æstimabitur. Adde quod futura actio læsa, præsens, & futura temporis constitutio in hoc negotio minimè prętermittentur. Non verendum equidẽ est cum Arabibus, parcendum esse sanguinis missioni, ne eiusdem moles nimiopere efferuescat. Nam cùm vena eliditur, omnes humores præcipuè exuperantes confertim dimanant, naturaque onere humoris peccantis morbum committentis leuata reliquias minore incommodo expeditius euincet, leuiorque efferuescentiæ occasio intus delitescens subsequetur. Itaq; in biliosa plethora ob refrigeriũ & futuram caloris extinctionẽ vberior: in pituitosa ob futuram cruditatẽ parcior detrahetur sanguis: ambigit verò melancholica. Quòd ad vtendi modum spectat pro varia febris natura & partium affectarum conditione diuersa pertundetur vena, vt interna dextri brachij ex vena caua & hepate sinistri cubiti interna, ex liene promptius & validius detrahit. Quocirca in febribus biliosis interna dextri brachij: in melancholicis sinistri cubiti tutò & citò secabitur.

Præ-

Præparatione, quę duplex est: altera corporis, in qua laxatis & patentibus corporis meatibus, idem alimentorum & medicamentorum beneficio præparatur, ne medicamenti cursus remoretur. Altera est humorum, qui nisi ritè sint apparati medicamento minimè cedunt, & in purgationis negotio grauia symptomata inuehunt. Etenim tres censentur in corpore alterationes: alia naturalis, pepsis dicta perfectio à calido, naturali elixationi similis: alia est contra naturam omninò putrida, quę nullo negotio concoqui potest, sed alteratione & excretione indiget. Tertia est media pepasmos dicta, semi putridorum cōcoctio, quæ, teste Galeno, bifariam suscitatur. Siquidem aut crudi sunt humores, veluti pituita acida & dulcis, cuius portio ita edomatur, vt in substantiam alimenti conuertatur: alia est admodum putrida, quæ euincitur & maturatur à natura, medicamentorumque beneficio ad excretionem aptior redditur. Id genus sunt vtraque bilis & ichores, quæ cùm à natura edomantur, concocta quodammodo dicuntur: quamuis nihil in nostram substantiam facessere possit. Idcircò humores in prima & secunda corporis regione congesti apparandi erunt iusculis & sy-

rupis accõmodatis, vt exempli gratia: si bi-
lis exuperat, commodè instituentur iuscu
la ex borragine, buglosso, endiuia, oxalide
addendo succum citri & mali arantij. Sy-
rupi etiã è cichorio simplici, ex acetosita-
te citri, violacei, singulorũ vncia dimidia,
aquæ stillatitiæ, oxalidis, buglosși, & ci-
chorij, singulorum vncia vna simul misce-
antur, & sumantur cum tabella vna dia-
margariti frigidi. Si humor pituitosus si-
mul reconditur, in eodem decocto adden
tur radices asparagi, graminis, & folia a-
grimonię scolopendrię & lupuli. Cùm ve-
rò humor malignus, vt in lipyria nego-
tium facit, addentur buglossus, viola, nym
phæa, succus mali citrij, cotonei, & semen
oxalidis, aut liquores stillatitij, melissæ et
tormentillæ. Semper equidem habenda
videtur esse ratio maligni humoris & par-
tis affectæ, præsertim principis, quæ digni
tate & præstantia vniuersam corporis œ-
conomiam moderatur. Quamobrem hu-
mores crasși attenuandi, lenti detergen-
di, et duri molliendi veniunt. Tenues ve-
rò concoquendi ad expeditiorem excre-
tionem non censentur, vt in sputi expecto
ratione contra mentem Arabum, qui prò-
ptius et per se è corpore effluunt, nisi sua-
pte natura acres extiterint, qui tunc sunt
demul-

demulcendi, ne excernẽdo molestiam adferant. Græci oximelite & mellitis ob penuriam & ignorantiam sacchari vtebãtur: nunc Arabum more syrupum acetosum, oxisaccharum & syrupos accommodatos cum saccharoq; comparatos, in febribus continuis cõmodius instituimus. Quæ cũ ita sint legitima præparationis qualitas, ꝑ natura humoris: limitatior quantitas, pro copia, vsus modus, pro parte affecta, humoris situ, & motu in principio tutò, citò & iucundè procurabitur. Galenus præpationem contra suorum aduersariorum opinionem in suis libris vbique celebrat, quã breuitatis gratia libr. vndecimo, Method. prætermisisse videtur in curatione febris putridæ.

Purgantibus humorem sensim apparatum in morbo salutari, qui ꝑ humoris natura & situ per epicrasim & partitè apparẽtibus signis concoctionis expurgatur. Nã vt triplex statuitur concoctio, nempè obscura, manifesta & perfecta: sic triplex decernenda erit purgatio his respondens, nimirũ parca, moderata & valida, præsertim cùm putredinis labes secundam corporis regionem obsidet. Cùm verò dubius & periculosus est affectus, aut signa concoctionis, quæ nec sunt, nec aderunt, ad pur- V.

gationem ſtatim properandum eſt, vbi ob feritatem affectus, & atrocitatem ſymptomatum deperdendæ ſalutis adeſt ſuſpicio. Nam humor maligna qualitate ꝓſternens, vberiore copia premens & turgens, partes principes obſidens & doloris atrocitate excrucians, in quauis corporis regione ante concoctionem (quæ fruſtrà ob inopinatũ exitium expectaretur) initio deriuandus & profligandus eſt. Itaque ſi bilis repurganda eſt drachma vna & dimidia, vel duabus rheibarbari, vel ſemũcia myrobalanorum flauarũ infuſis in decocto cichorij, oxalidis, prunorum, thamarindorum pinguium, quatuor ſeminũ frigidorum maiorum, & trium florum cardiacorum: expreſsioni colatæ addentur electarij è ſucco roſarum pro exuperãti copia & virium firmitate ſcrupuli quatuor, aut drachma vna & dimidia, ſyrupi ex infuſione roſarum, vncia vna, trochiſcorum è caphura ſcrupulus dimidius: aut diſſoluentur drachmæ ſex caſsiæ fiſtularis, aut vnciæ duæ mãnæ electæ. Pro natura enim humoris exuperãtis peculiare remedij genus, pro magnitudine affectus & humoris certa quantitas, pro humoris motu & ſitu vtendi modus perpetuò inſtituetur, ſed ea lege vt in ancipiti morbo medicamentum vali-

validum præſcribatur, ne mitiore medicamento & diuturniore mora totius corporis ſtructura corruat. Cótingit enim vt plurimum morbum blandioribus pharmacis efferueſcere, vireſque paulatim labaſcere. Interim in hoc totus erit medicus, vt purget quantum vires ferunt, & quamdiu & quouſque reliquiæ humorum ſuperſint. Prætereà vtendi modus ſtudioſe eſt obſeruãdus, qui humoris ſemel, vel pluries purgandi oppurtunitatem, loci commoditatem, & ordinem regionis primæ, deinde ſecundæ, poſtremô tertiæ exhauriendæ, continet. Medicamentũ verò naturæ corporis & humoris qualitate vel quantitate ſemper debet eſſe analogum.

Sudores & vrinas mouentibus poſt integram concoctionem, præſertim cùm ocioſa eſt natura. Vt enim medici tranſacto ſæuiore ſtatus tempore poſt euictam & cõcoctam materiã tutô pharmacum propinant, cùm eſt ignaua natura: ſic teſtimonijs Græcorum & Arabum poſt ſigna concoctionis, digeſtio legitimè inſtituitur, quæ quidem duplex cenſetur: Nam alia eſt alimenti, anadoſis dicta, quæ à facultate attractrice emergit. Altera eſt excrementorum, quæ duplex iudicatur, vna ſenſilis, diacriſis dicta, in qua vrinę, ſudores, & alię VI.

excretiones profunduntur: altera est insensilis, diaphorisis nuncupata, in qua per insensilem transpiratum ex toto corporis habitu exhalant excrementa. Sudores igitur & vrinæ mouebuntur syrupo acetoso simplici, capilli veneris, & è limonibus, iusculis asparagi, graminis, foliorũ borraginis, buglossi, & seminũ melonũ simul perfuso citri succo. Quãtitas pro natura & situ humoris instituetur. Præterea medicus eò vsque moliri debet omne euacuationis gen⁹ vt tota morbi soboles euellatur, ne remanentibus humorũ reliquijs recidiuus affectus succrescat. Græci & Arabes post signa concoctionis, balneum aquę frigidę non improbant, cuius ope sudores, & vrinæ facilius cierentur. Si natura per se id negotij aggrediatur, totum huic committendum est. Quod enim natura per se præstabit, frustrà medicina tentabit.

VII. Alterantibus & roborantibus præsertim in declinatione morbi, corpore probè repurgato cordi & hepati admouendis. Siquidem ex febrili incendio empyreuma & imbecillitas perpetuò consequuntur: quæ quidem vt plurimum in eundem affectum, aut priore deteriorem præcipitant ægrum.

Vnde mirum non est, si hoc seculo non pauci

pauci ægri ob neglectum horundem præsidiorum vsum in sequiorem affectum relabuntur, & miserè excruciantur, vixq; tandem redimantur. Quocirca eò spectabit medici opera, vt post febrem continuam, siue ardentem, siue colliquescentem, siue cardiacam, admoueantur cordi & hepati epithemata refrigerantia & roborantia, in declinatione morbi, aut in statu, cùm nimiopere exardescit, & sæuius efferatur affectus. Parabitur autem epithema, cordi admouendum ex aquis stillatitijs, buglossi, rosarum, pimpinellæ, oxalidis & nymphęæ, singulorum vncijs duabus, addendo pulueres diamargariti frigidi, coralli rubri, santali citrini, singulorum drachmam vnam, et fragmentorum preciosorum, scrupulum vnum, croci, trochiscorum è caphura singulorum scrupulum dimidium, aceti vnciam dimidiam, non dissimile ex decocto eorundem simplicium componitur.

Comparabitur etiã epithema hepati imponendum ex aquis rosarũ, cichorij, oxalidis, singulorum ℥. 4. addendo santalorum, spodij, singulorum ʒ. 1. spicęnardi scrupulum dimidium. Antiqui hydreleum admouebant, nunc recentiores aquam stillatitiam rosarum, oleum violaceum, &

acetum ſimul perfundunt & adhibent. Quinetiam ad hunc & eundem ſcopum imponitur epithema genitalibus, ex aquis roſarum, plantaginis, vino & aceto confectum. Præterea exhibebitur conditum ad robur & refrigeriũ ex cõſeruis nymphææ, buglosſi & oxalidis, admiſcẽdo pulueres diamargariti frigidi, & fragmentorum cõmunium. Qua in re Græcis Arabes ſunt locupletiores, qui roboris & refrigerij gratia, ob ſuaues ſacchari delitias, ſacçhara, ſeu conſeruas, condita, & tabellas ingeniosè excogitarunt. Græci olim ſuccum roſarum propinabant, nunc poſteri ſyrupos peculiares, vt è limonibus, & è granatis, & iuſcula lactucæ, oxalidis & portulacę cum ſucco limonum fœlicius porrigunt. Igitur qualitas alterantium & roborantium ex ſpecie affectus, partisque affectę conditione: quantitas ex vehementia, & ſæuitia præcedentis affectus ſpectabitur. Semper equidem mala qualitas tollenda, corpus imbecillum roborandum, & quod abſumtum eſt, raſtaurandum venit.

VIII. Symptomata emendantibus, quibus ꝓtinus extraordinaria curatione occurrendum eſt, ſi ab horum feritate vitæ diſcrimẽ impendet, non quòd morbus, & eius cauſæ ſeminaria demantur, ſed quòd funeſtã

horum

norum sæuitiam leuant. Actio enim læsa ex morbo, excrementorum vitium, & simplex corporis affectus ex actionis offensione primordia gradatim acceperunt.

Cùm molesta vigiliarum importunitas egrum fatigat, somnus accersendus erit, syrupi è nymphæa, aut è papauere sescuncia, stillatitij liquoris lactucę vncijs tribus cum scrupulo dimidio diamargariti frigidi, quæ mista appetente sõni tẽpore exhibebuntur, vel philonis antidotus instituetur, si æger sit robustus. Quippe, teste Auicenna, opiũ imbecillis & senibus est suspectum. Quinetiã admouebuntur carpis manuum, & fronti vnguentũ populeum, & oleum rosatum cum aceto, vel capita papauerum in albumine oui dissoluta, vel flores papaueris, & nympheę simul permisti. Gręci commendant lotiones pedũ & manuum, quæ parabuntur ex decocto foliorum lactucæ, maluæ, violariæ, cucurbitæ, florum nymphęæ, rosarum & papaueris albi. Somnus etiam præcipuè conciliandus venit, qui delirium compescit, & sitim à siccitate profectam demulcet. Immoderatus verò à copioso humore cerebrum perfundente contractus, suspectus esse solet, qui succo fœniculi cum aceto cocto, & odorato excitabitur.

Dolor verò capitis propulſabitur oxirŏdino fronti admoto, vel frontali ex farina hordei macerata in ſucco betonicæ, & ſerpilli, vel decocto florum betonicę, camęmeli, roſarum, & violarum fronti impoſito. Celſus decernit roſas in aceto maceratas. Delirium abigitur repellentibus cerebro admotis, ſomnum conciliantibus, frictionibus, lotionibus pedum & manuum, ſyrupis, & iuſculis refrigerantibus, efferueſcentes vapores frænantibus. Catarrhus compeſcendus eſt peculiari victus ratione, reuellentibus vt frictionib. & cucurbitulis ſcapulis admotis, errhinis & catarrhum ſiſtentibus, præſertim vbi tuſſis aſpera, pręceps ſuffocationis periculũ, vigilię & excoriatio ægrum exercent. Interim cautio adhibenda eſt, repellentia, non niſi cum religione fronti adhibenda eſſe, cùm catarrhus multum vrget, & multa in cerebrum confluxit materia.

Cùm ſitis ſollicitat ſyrupi è limonibus violaceus & acetoſus ſimplex cum aqua cocta, vel ptiſana, conſerua ſymphiti & nymphęæ exhibita, & portulaca in ore tetenta, haud dubiè opitulantur. Si ſuffocans incendium & intolerabilis corporis iactatio ægrum excruciant, refrigerantia & humectantia ſumpta & admota, & ſan-

gui-

;uinis misſio, ſi nihil diſſuadeat, non
ıarum conferunt. Si dolor renum & ca-
or obrepunt, cerato ſantalino, & oleo
iolaceo ſimul perfuſo ſuccurrendum e-
it. Si icterus ſuboriatur, obſtructio-
em tollentibus, ſudores & vrinas mo-
entibus, lotionibus & fotibus florum
amæmeli, meliloti, & anethi obſiſten-
um erit. Sudores vniuerſales die de-
retorio erumpentes, febrem arcentes,
ymptomata minuentes, & à quibus æ-
er bene ſe habet, & qui facilè ferun-
ur, naturæ ſunt relinquendi, nec ſup-
rimendi quoad pulſus apparebit ma-
nus & mollis.

Si verò immoderatius eruptionem fa-
unt, pulſusque euadit languidior, pro
iribus excernentur, ne ob inſignem eua-
ıationem, & irruentem virium infirmi-
atem, ad exitium inopinatum pręcipitēt.
Qui ſubſiſtunt, aut à copia, aut à craſsitie
umorum proritandi erunt ſyrupis è li-
ıonibus, capilli Veneris, & aceroſi ſim-
licis cum ptiſana, vel decocto graminis
c aſparagi. Si dyſenteria ægrum offendit,
c febri ſuccedat, victus ratio peculiaris ꝓ
umore peccante inſtituetur, qui rheobar
aro & myrobalanis expurgabitur. Aui-
ennas autem verè atque ſapienter pro-

didit, profluuiũ profluuio causam abscindendo curari, quod videtur cõfirmare Galenus 24. Aphoris. lib. 4. Præterea clysteres primũ lenientes: deinde detergentes: postea cicatricem inducentes sunt præscribendi. Si profluuium vires prosternit, nullæque humorum peccantium reliquiæ supersunt, constringendum, vrinasque & sudores cientibus, reuellendum est. Interim in magna acrimonia humorum & viribus validis narcotica non sunt omnino negligenda. At in materia frigida & crassa, dubia esse solent. Inter præsentissima remedia probatur à Galeno libr. 4. de articulis epithema, & quoduis pręsidium hepar roborans. Si profluuium sit pestilens, roborãtibus, & alexipharmacis expugnabitur.

De curatione febris ex cruditate.
Capvt VII.

CVM febris ex cruditate sit anceps & dubius morbus, partim ob exuperantem humorum copiam obruens, & ob malignam humorum perniciem vt plurimũ prosternens, præcipuè cùm à cibis corruptis primordia accepit, à naturaque euinci non potuit, peculiarẽ & tenuem victus rationem exposcit. Magnus autem & anceps est morbus ex se, qui aut partes prin-

cipes, aut à corde non remotas, aut acutiore sensu insignitas occupat, vires conuellit, vtrumq; calidum fixum, & influens obterit. Quinetiam magnus ratione causæ nuncupatur, qui ob exuperantem humorum sarcinam omnes partes nobiles & ignobiles obruit, & ratione symptomatum fũctiones vitæ necessarias labefactat. Tamen æger non est vsque adeò deperditę sanitatis, quin adhuc aliquis curationĩ relinquatur locus, quæ octo remediorum capitibus compręhenditur.

Victus ratione tenuante, quę pro vberiore cruditatis prouentu humorẽ crassum & crudum attenuat, sensimq; corpus tanto onere cõfertum leuat, simulq; vires fulcit. Eò igitur dirigetur consilium, vt viriũ ratio habeatur, harumq; subsidio sensim & pedetentim humorum impuritas absumatur, siue in prima, siue in secunda, siue in tertia corporis regione delitescat. Vires porrò languidę, vel integrę internoscuntur functionibus animalibus, nempe sensuum & motus firmitudine, aut infirmitate, vitalibus vt pulsu magno, vehementi, aut paruo, & languido, & naturalibus, nẽpe signis coctionis vel cruditatis. Itaque si pulsus est magnus, satis vehemens & laudabilis, aliquodque concoctionis signum 1.

in vrinis se prodat, certissimum est argumentum naturam victricem esse, tenuissimoque victu fulciri posse. Cùm verò pulsus apparet paruus, languidus, vrinaque omninò confusa permanet, certò colligendum est naturam, aut admodum oppressam, aut prostratam esse. Quocirca primarium artis votum erit naturam fauentem habere, eiusque motum & progressum imitari, vt æger legitimis & tempestiuis viuendi legibus redimatur. Si enim vires non admodum fatiscunt, parciore victus ratione fruetur, à concoctionisque officio minimè reuocabitur natura. Instituentur autem panatella, & iuscula pulli, capi cum thymo, hyssopo, petroselino, buglosso, asparago, & ciceribus rubris. Cùm vires infringuntur gelatinæ, consumpta, instaurantia, & omnes cibi euchimi parca manu multum nutrientes conferre poterunt. Potus erit aqua cinamomi, aut hydromel, in quo incoquuntur eupatorium, betonica, gramen, hyssopus, & stæchas. Post victoriam morbi, prouidendum est, an empyreuma, an siccitas, an macies, an imbecillitas, an humor excrementitius adsint: quibus statim succurrendum est ea lege, vt quæ longo tempore extenuata sint, lentè, quæ

...reui, breuiter reficiantur. Porrò hoc ...ǔ loco silentio non est prætereundum, ...rudum, autore Galeno Comment. secun...lo in libro de ratione victus in morbis a...utis cap. quadragesimo quarto, manere ...norbum ob inædiam longam vel intem...estiuam cibi oblationem.

Minuentibus humoris illuuiem in ve- 11. ...is meseraicis congestam, aut catapotijs ...x hiera, aut diaphœnici, vel electarij in...li vncia dimidia, vel drachmis tribus, cum ...yrupi, capilli Veneris drachmis sex, hy...lromelite, vel decocto pectorali in quo ...bullierint polipodi quercini, follicu...orum sennæ cum aniso, singulorum dra...hmæ duæ. Non parum etiam opitula...untur clisteres ex decocto carminatiuo, ...x remollientium, addendo diaphœnici, ...ieræ picræ singulorum vnciam dimidiá, ...nellis rosacei vnciam vnam, olei lilio...um & camæmeli singulorum sescũciam. ...teni m cùm ingens humorum crudorum ...entina calorem innatum suffocat, proti...us exhaurienda venit, antequam natu...a tanta mole obruatur, ne etiam exupe...ans humorum fœnus in prima corporis ...egione cumulatius retentum, apparan...o in secundam deuehatur, affectumque ...eminet.

Præparantibus humorem crudum concoquendo, lentum detergendo, crassum attenuando, durum molliendo, & meatus constrictos aperiẽdo. Primùm crudus humor concoquendus est medicamentis, calori natiuo non admodum imparibus: id genus sunt syrupi è mentha, & è corticibus citri qui calore temperato nostrum recreando, & augendo concoctionem iuuant, & resoluendo incrassant. Duæ equidem censentur causæ genitrices crasſitiei, nempè calor & frigus. Quæ enim à frigore & astrictione concreta sunt, crassa inciden da, & lenta detergenda se offerunt. Cuius ordine sunt oximel simplex, mel rosaceū, syrupi è duabus & quinque radicibus, & è bizentijs, aquæ fœniculi, hyssopi, eupatorij, hydromel in quo decoxerunt radices asparagi, graminis, polipodi querciní, folia scolopendrię, capillarium, et chamędrios, & iuscula petroselini, hyssopi, thymi, buglosſi, capparorum, & passularum corinthiarum seu damascenarum. Dosis verò syruporum est, vt plurimum aut sescunciæ, aut vnciarum duarum, & decocti trium vnciarum. Præterea nō solùm sumptis, sed etiam admotis rite apparabuntur humores sacculis hippochondrijs, & ventri admouendis, qui concinnabun-

tur

tur ex radicibus asari, brionię, corticum capparorum, thamaricis, folijs absynthij, chamędrios, eupatorij, fumarię, peucedani, centauri minoris, floribus camęmeli, meliloti, genistę, saluiæ, & iunci odorati: quibus addi poterunt semina agni casti, & fœnigręci. Interim eò spectabit opera, vt perpetuò à leuioribus auspicetur, sensimque obstructio funditus extirpetur, quæ impeditam transpirationem, præpedita transpiratio putredinem, putredo febrem sensim ingenerat.

IV. Purgantibus humorẽ præparatum, qui febrem fouet, & per epicrasim, vt natura aliqua humoris portione leuata in reliquias expeditius incumbat. Medicamentum blandum et lene exhibendum erit, ne diarrhœa, aut cholera morbus statim irruat. Infundãtur autem rheibarbari electi scrupuli quatuor, agarici trochiscati scrupuli duo, cinamomi optimi scrupulus vnus in decocto pectorali, in quo ebulliãt folliculorum sennę cum aniso, vel caryophilis drachmę duę, & syrupi capilli Veneris drachmę sex simul perfundantur. Si vires non reclamarent, diaphænici drachma vna dissolui poterit. Quocirca quantitas purgationis pro magnitudine, viribus ægrotantis, constitutione corporis, humoris & cœli, vsus

modus pro affecta parte necnon pro humoris qualitate, quãtitate & situ decernetur, ne pharmaco parum dextre exhibito æger cum morbo extermineretur.

V. Vacuantibus nimirum sanguinis missione cùm fœdum morbi seminarium secundam corporis regionem occupat, plethoraq; ad vires, & ad vasa opprimit. Nã sicuti cacochimiæ purgatio, sic plethorę sanguinis missio congruit, quæ in hoc affectu nimiopere vrget. Itaq; sanguis mittẽdus cẽsetur, sed ob periculosam cruditatis labem minori copia exhaurietur, semperq; viriũ ratio habeatur. Siquidẽ pro magnitudine morbi, & virib. ægrotantis, tanquã primarijs indicationib. sanguis parcior, vel vberior detrahetur. Quod verò Gal. in febre pituitosa, & epiala cruditatis ratione venã non pertũdit, hoc p̃stat, cùm non sollicitat plethora, & ob virium imbecillitatem, in febre syncopali neq; purgat, neq; euacuat,
.3. in libr. sed tantùm frictionem adhibet. Non enim
id. c. 48. eodem authore sanguis detrahẽdus est in illis, in quibus in alium humorem insigni mutatione conuersus fuerit. Quod reliqui spiritus quibus fulciuntur vires, simul euanescunt. Cùm verò vires adsunt validæ, Arabes & Græci, recentiores in febre syncopali à pituitoso humore genita, ad humores

mores præparantia blanda pharmaca, & frictiones non temerè confugiunt. Si ventriculus & venæ meseraicæ crudorum humorũ prouentu sordescunt, medicinã potius quàm sanguinis missionẽ conferre apparet. Quandoquidẽ medicamentũ cacochimiæ expurgandæ accõmodatũ, ex prima corporis regione exuperans, cruditatis fœnus facilè extrudet. At sanguinis missio eò non pertingit, hancq́; cruditatis sentinã ad magna vasa attraheret, affectumq́; priore deteriorem infligeret.

Vrinas & sudores mouentib. vt humor, q in secunda corporis regione reconditur, p loca conuenientia deriuetur, vtpote iuscu lis graminis, asparagi, & petroselini, aut hydromelite, in q̊ flores stœchados, & betonicæ, & hæc simplicia medicamenta cõmemorata simul incoquẽtũr. Interim omne studiũ in hoc collocabitur, vt excremẽta fuliginosa per corporis habitum deuoluta, per insensilem transpiratum, opportuna frictionum ope excernantur. VI.

Roborantib. vt conseruis betonicæ, capillorum Veneris, confectione alkermes, VII. cortice citri conditi, tabellis electarij aromatici rosati, diagalanga, & dianiso, & oleo nucis moschatę, quo inũgetur vẽtriculus. Danda semper erit opera, vt ventri-

culi & hepatis ratio habeatur, ne ventriculi attritio ſuboriatur, in qua chilus ante excretionem in pituitam faceſsit, atrociaq́ue ſymptomata profert: quorum meminit Galenus in lib. de præſagitione ex pulſibus. In hoc enim affectu ventriculũ poſt pedes calefactos oleo nardino inungit, vinumq́ue generoſum propinat. Nunc recẽtiores medici puluerem galangæ, aut piperis cum pane azimo inuolutum, & aqua vini ſtillatitia cõpoſita tutò & iucundè porrigunt. Parabuntur linimenta pro regione ventriculi ex oleo nucis moſchatæ, & pro liene oleis è geniſta, & è capparibus.

IIX. Symptomata delentibus, vt lienteriam, quæ ſi contrahatur ab imbecillitate, alteratricis & retentricis facultatis corroborantibus præſidijs, & aſtringentibus vtendum erit. Si cæliaca affectio negotium faceſsit, & ab obſtructione venarum meſaraicarum proficiſcatur, primo loco humores erunt minuendi, ſenſim præparandi, & euacuandi. Quando ab imbecillitate hepatis cauſas trahit, roborabitur æger ſumptis & admotis, intemperiesq́; ſimul obliterabitur, ne nouus humor ſuccreſcat. Cùm diarrhœa fatigat, & eſt critica & perfecta, naturæ relinquenda venit, vireſq́ue interim fulciãtur, & reficiantur. Si imperfecta

ecta obrepit, iuuanda est, humorq; peccans per epicrasim deriuandus est. Pro cęteris causis aliâs suo loco curatio instituetur. Hactenus febrium curationē perstrinxi, quarum causæ in vniuerso corpore, præsertim in mole sanguinis resident. Nunc perscrutandæ veniunt febres symptomaticæ, quæ in partis alicuius inflammatione, aut humore circa aliquam partem infarcto, aut corruptela eiusdem consistunt.

De Curatione febrium symptomaticarum. CAPVT VIII.

FEbris symptomatica ab inflammatione genita, primo loco excutienda est, quæ octo remediorum capitibus oblitterabitur.

Victus ratione tenui, refrigerante & 1. humectante, fluxionemque prohibente, quę pro magnitudine morbi quatuor eiusdem temporibus, & viribus ægrotantis variè præscribitur. Quò enim acutior & sæuior est inflammatio, eò tenuior viuendi lex decernetur. Quinetiam pro varijs quatuor morbi temporum periodis diuersa victus ratio decernitur. In febrium enim essentialium principijs tenuis victus, in incremento tenuior, in vigore tenuissimus

exhibetur: quod in vigore iudicium exp
ctatur, tuncq; natura ab vrgentiore conco
quendorum, & expellendorum humorũ
negotio non est perperam distrahenda
Verũ in febribus symptomaticis alio mo-
do cibus porrigẽdus est, nimirum in prin-
cipio tenuissimus, vt partes singulę humo
rem superfluũ auidius retineant, præcipi-
tem & effœratum fluxionis impetũ coer-
ceant, inflãmationemq; febris symptoma
ticæ sobolem imminuãt. Fluxioni equidẽ
admissæ, quàm admissuræ ægrius occurri-
tur. Igitur in principio hui⁹ febris sympto-
maticę tenuissimus victus porrigẽdus ve-
nit, vt pruna elixa, hordeata: deinde in in-
cremento & vigore, iuscula, panatellæ ex
pane loto confectæ, gelatinæ, & instauran
tia, vbi vires elanguescunt & nimiopere at
teruntur. Cùm enim vires fatiscunt, paulò
pleniori victu videntur esse reficiẽdi ægri.
Interim habenda est ratio partis affectæ,
quam inflammatio obsidet. Etenim si pars
princeps, aut huic finitima, aut publicum
munus obtinens, aut sensu acutiore præ-
dita, victus tenuior parũ tutus est, sed pau-
lò plenior instituendus, simulque proti-
nus ad roborantia festinandum est. Sunt
equidem partes principes, iudicio Ara-
bum, roborandæ & conseruandæ, quæ
digni-

dignitate pręstant, vniuersum corpus moderantur, ex earũq; insigni offensione preceps, & inopinata vitæ euersio imminet. Aliæ publicũ munus corpori sustinendo necessarium obtinuerunt, vt ventriculus: aliæ parti principi sunt vicinæ, quę ob cõsortium simul afficiuntur, vt inflãmatio auris, cerebro, pulmonũ, cordi promptè communicatur: aliæ sunt exquisito sensu insignitæ, veluti diaphragma, vterus, vesica, & orificium ventriculi, quibus inflammatis & legitima victus ratione, opportunisque præsidijs haud cunctanter succurrendum est. Præterea aliæ sunt remotæ à partibus principibus, sed excrementis excipiendis dicatæ, sicuti intestina & renes. Pro quarum partium varia inflammatione, varia viuendi lex & remedia imparia adhibebũtur. Nam cùm infirmitas accedit ad partis principis inflammationem, aut publicam functionem obtinentis, aut sensu acutiore donatæ rem magis in difficili & in dubio esse colligendum est. Cum autem inflammatio ventriculum aut hepar obsidet, victus tenuior est exhibendus. Porrò vigilia in inflammationibus internis, somnus in externis commendatur.

Minuentibus humorem in prima cor- 11.
poris regione cumulatum, ne pars inflam-

matione affecta humores in corpore redũdantes calore & dolore proliciat. Clisteres ad hunc vsum accommodabuntur, qui à parte affecta humores excremẽtitios reuellant. Tamen abstinendum est à validis pharmacis in principio inflammationum, ne humorem turgentem exagitent, in partem conflictatam præcipitent, & calorem augeant. Quinetiam sunt parum tuta pharmaca in inflammationibus partium principum, & præsertim in inflammationibus pulmonum, pleuritidis, & partium vitalium, quæ corpus imbecillius reddunt, & euacuationem, quę per sputa fieri debet, remorantur, & præpediunt. Nam in inflãmationibus partium, aut paulatim excernitur materia, vt in pleuritide, quæ per loca conuenientia deriuanda venit, aut paulatim resoluitur, quæ peculiaribus subsidijs iuuãda est, aut in suppurationem mutatur, cui arte opitulandum est.

III. Reuellentibus & vacuantibus, quæ efferatam irruentis sanguinis incursionem compescunt, plenitudinem detrahunt, & partem affectam aliqua putrescẽtis humoris portione subleuant. Vacuatio enim sanguinis & humoris in corpore præter naturam contenti, reuulsio & depulsio procũbentis eiusdem in contrariũ retractio pro-

prie

priè definitur, quæ recto venarum & fibrarum cursu è regione partis affectæ ex ampla, & vicina vena, & in principio administrari debent. Siquidem ex ampla vena vberius, ex vicina celerius & validius effunditur sanguis, nimirum ex vena humerali, seu cephalica ex partibus, quæ sunt supra clauiculas, interiori ex his, quæ inter clauiculas & renes, media ex vtraque parte vberius, validius & commodius reuellũt. Si profectò inflammatio malè habet cerebrum, vt sphacelismus cerebri, phrenitis, inflammatio aurium, angina, fauces, humeraria, inflammatio pulmonum, pleuritis, media, sicuti ea, quę diaphragma, ventriculum, renes, intestina, vterum, vesicam & scrotum exercet, resignanda est vena. Si tamen aliquid maligni in vtero lateat, quod ex lue venerea contractum sit, vena malleoli aptius pertundenda venit, ne contagiosa veneni labes in venas maiores, & in totum corporis habitum retrahatur. Semper igitur è directo partis affectæ ex vena ampliore & viciniore demetur sanguis. Post harum venarum sectionem sedato fluxionis impetu in affectibus capitis vena frontis, aut puppis, & cucurbitulæ cũ scarificatione scapulis admotæ, in aurium inflammationibus, vena sub aures, in angina

quæ ſub lingua apparent, non aliter quàm in affectibus renum, vteri, veſicę, & ſcroti venę malleoli, aut poplitis commodè aperientur. Etenim cùm æger plethora laborat, & effrœnatus eſt fluxionis impetus, venę ſuperiores ad reuulſionem ſunt ſecãdę, ne humor ferociens, quũ natura moderari res nequit, meatumq; ad exeundũ nõ nanciſcitur, pręcipiti motu in partem affectam irruat. Cùm verò iufluxit materia venæ poplitis & malleoli, tutius reſerandæ erunt. Quantitas porrò ſanguinis mittẽdi ex magnitudine morbi, viribus ægrotantis, temperamento, habitu, & ætate eiuſdem conſtitutione cœli, vacuatione præcedente, viuendi genere, rerum externarum futura occurſatione, & ſymptomatum futurorum ſæuitia perpendenda veniet. Non enim minore cautione proſpicienda ſunt futura, nempè cœli conſtitutio calida, vel frigida, victus ratio parcior vel liberalior, ſymptomata, vtpote vacuationes immodicæ, & excrucians dolor, quæ largiorem ſanguinis miſſionem diſſuadent, ne vires neceſſarias nimiopere proſternat, noxioque aut intempeſtiuo victu penuriam reparare in ęgri perniciem nos poſtea cogat. Hoc nomine Hippocrates & Auicennas in pleu-

ritide biliosa sanguinem non demebant, solisque fomentorum præsidijs affectum expugnari posse sibi persuadebant, metuebantque austro perflante euacuationem in pleuriticis apud Athenienses parum tutam esse. Idcircò in principio febrium symptomaticarum & essentialium sanguis est mittendus, vt apertè confirmarunt Græci contra mentem Arabum, antequam inualescat morbus. Hippocrates in plethorico corpore & viribus validis, vsque ad animi deliquium sanguinem vacuat. Iterata verò vacuatio in viribus elanguescentibus magis à Galeno probatur. Quamobrem in omni inflammatione profligan da desiderantur, vacuatio & reuulsio, quarum vna celebratur, cùm partes incolumes sanguinem vacuatione, ligaturis, & frictionibus substrahunt: altera de qua mox differendum est, sanguinem depellit, & transfert ad alia membra, vt in principio inflammationum astringẽtibus remedijs vtimur, quæ humores à parte affecta protrudunt.

In hoc sanè affectu, authore Galeno, exi- I V
guus humor ante purgationem ad magna vasa commigrat, minimumq; malum committit, quod facilè à natura euincitur, nisi corpus fuerit plethoricum.

Repellentibus humorem profluentem in partem affectam mediocribus subsidijs ne nimiopere repellentia scyrrum ingenerent, aut partis pręcipue principis temperiem immutent, aut humorem crassiorem reddant, & altiùs impingant, aut per accidens caloris feruorem augeant. Vacuatio igitur, vt placuit Galeno, aut fit per translationem, cùm repellentiũ ope humores in alias partes stante fluxionis principio auertuntur, qui ob nimiam horum copiá in magna vasa traijciuntur, naturęque beneficio sine aliquo detriméto edomantur: Altera est cùm partes incolumes sanguiné euocãt ligaturis et reuulsione de qua mox disputatum est. Quamobrem in principio inflammationis admouenda erunt parti inflammationem malè habenti, cuius cõditio pręstantia, sensu exquisito, vel hebeti, situ & cõformatione æstimata ad vnguẽ perpendetur. Nemo equidem nescit omni parti inflammatæ eadem remedia localia non æquè congruere. Siquidem partes principes & exquisito sensu insignitæ mitiora postulant remedia, quibus vt verè cẽsent Arabes, admiscenda sunt roborantia & parti familiaria, veluti hepati, cichoriũ & eupatorium, corallus, & spodium, lieni asplenium, & scolopendrium, cerebro

rosæ

rosę, thoraci tussilago, & scabiosa apte prę scribentur. Itaque repellentia in phreniti de & spacelismo accommodata sunt, succus rosarum, & acetum, conserua rosarum & earum succus, oleum rosatum & acetũ cum caphura permistum, quæ syncipiti & fronti admouebuntur. In inflammatione hepatis succus solani adhibitus nõ parum confert. Tamen Arabes & Græci inter se dissentire videntur quòd illi refrigerantia, vt succũ solatri in principio inflammationis adhibent. Græci verò relaxantibus, & roborantibus ad refrigerium robur, & ad discutiendos vapores, nempe rosis & absynthio in oleo & aqua decoctis vtuntur. Sed hi non discrepant cùm ordine immutato in eundem scopum contendant. Prętérea modice frigida ad vitandã obstructionem sunt præscribenda, cuiusmodi sunt syrupi cydoniorum, & rosatus perfusi cum his, quæ modice aperiunt & detergunt, vt decocto agrimoniæ, oxalidis hepaticæ plantaginis & cichorij. Non parũ prospero & fœlici euentu imponentur epithemata ex aquis rosarũ, solani & plantaginis confecta, & sacculi ex rosis, balaustiis, spodio & santalis concinnati. Olea porro videntur esse in omniũ partiũ inflammationibus, præcipue hepatis parũ tuta,

ne promptè incaleſcant. Præterea ſingulari cautione obſeruandũ eſt, ne in angina, pleuritide, & inflammatione mediaſtini repellentia inducantur, ne humorẽ peccantẽ ad partem inflammatione affectam intro concitent, ſed tutius & commodius lenientia & reſoluentia pręſcribentur. In principio verò anginæ, cùm in fauces irrumpit ſanguis gargariſmi refrigerantes, & aſtringentes decernendi erunt. In aliis verò inflammationum generibus ſubſidio repellentiũ tutior fit retroceſſus, qui etiã vel attracta vel tranſmiſſa materia in omni inflammatione dextrè adminiſtratur.

V. Materiam apparantibus, quæ pro ſingulis partibus vitiatis, humorum natura, eorumque ſedibus variè adhibẽtur, vt exempli gratia: Si inflammatio ad hepar obrepit, præparantibus, coquentibus & aſtringentibus ad partis affectæ, natura laxæ robur, & aperientibus ſimul miſtis præparatio procurãda erit, nempe ſyrupis è cichorio, è ribes, ex oxalide, acetoſo ſimplici, & roſato, cùm humor bilioſus mali cauſam dedit. Si verò humor pituitoſus ſit huius morbi ſeminarium, oximel ſimplex, mel roſaceum, & ſyrupus capilli Veneris legitimè & cõmodè inſtituentur. In angina pituitoſa humor oximelitę ſimplici, & mel-

le ro-

lē rosaceo cum aquis betonicæ, & absyn-thij apparandus venit,& biliosus detergē-dus, alterandus, & protinus educendus censetur. In pleuritide biliosa, syrupi vio-lacei,& è iuiubis; in pituitosa syrupi capil-lorum Veneris, è glycyrrhiza, & è scabiosa eximiè conferre creduntur. Idē statuendū erit de aliorum humorum præparatione.

Purgantibus humorem exuperantem, VI. prçcipuè cùm febris essentialis simul cum symptomatica implicita est, aut cùm hu-mor vitiosus primam corporis regionem occupat, ad quam pertingere non potuit venæ sectio, aut cùm febris incendio reli-quiæ humorum supersunt, quç nouam fe-brem minantur. Etenim in febre sympto-matica summa cautione prouidēdum est, an copuletur febris essentialis, vt huius se minarium victus ratione & pharmacia ex-tirpetur. Quinetiā si humor peccans deli-tescit in prima corporis regione, aut malè aliquā partem affectat, & habet, quam de-mere nō potuit, sanguinis missio leui phar maco, præsertim morbo inclinante, & quā longè fieri potest à parte affecta vtiliter & cōmodè eximendus est, quod minimè vidētur improbare Gal. 13. Method. & Hipp. in curā-da pleuritide, quç ad hippochondriū vsque extenditur. Præterea omnes Medici Grçci

& Arabes gibbam hepatis diureticis, cauã clisteribus, & blandis medicamentis repurgandam esse contendunt, vt casſia, manna, & rheobarbaro. Cæterum eò spectabit opera, vt à parte affecta purgationis ope reuellatur humor, veluti exempli gratia: si renes inflammatione conflictentur, clisteribus, & leui pharmaco, si intestina, diureticis deriuabuntur.

VII. Digerentibus materiam relictam, siue in pleuritide, siue in angina, siue in phrenitide, & in alia quauis parte inflammata: quæ peculiaria requirit remedia. Etenim in angina nidus hirũdinis frixus cum pinguedine & parti laboranti impositus, in pleuritide, muccagò seminis lini, fœnigręci, oleum camameli, & amigdalarum dulcium foris adhibita, sicuti intus sumpta dens apri, priapus cerui, corallus, flos, aut radix lappæ, & testæ auellanarum rubrarum cum hydromelite ex scabiosa, tussilagine, passulis, iuiubis, sebestem, floribus violarum, & stœchados, parato conferre credũtur. Quocirca pro varia singulorum temporum mutatione varia sunt instituẽda remedia, vt in principio fluxionis astringentia, & repellentia, in incremento resoluentia, & digerentia, & parum astringentia: in vigore anodina, & digerentia: in declina-

clinatione pura digerentia sunt instituenda: quæ via optatior est quàm ea, quæ suppurantibus tentatur. Galenus non videtur contra suorum aduersariorum opinionem roborantia & astringentia cum digerentibus ob maius commodum, quàm incommodum futurum, in discutiendis partis principis tumoribus perperã adhibere.

Suppurantibus inflammationem, quæ nullo euinci artificio potuit, vtpote in angina emplastro seminum lini, fœnigræci: in inflãmatione hepatis cataplasmate ex decocto maluæ, & absynthij comparato. Abscessus rumpetur sternutamento, aut in angina cultro ligneo, aut spongia cum filo alligata. Vlcus porrò detergetur melle rosaceo & decocto hordei, & tandem glutinabitur terra Lemnia, bolo armenio, & sanguine draconis. Interim detergetur humor per proprios & breuiores meatus, per quos natura solita est sua excrementa deponere. In suppurando emplastica admouentur, vt calor innatus influentis comes fœlicius materiam euincat. In febribus verò putridis pori semper reserantur, vt humor putris & fuliginosa excrementa foras euocentur. IIX.

Intemperiem emẽdantibus sumptis & admotis, vt in inflammatione vẽtriculi & IX.

hepatis, tabellis trium ſantalorum, & dia- margariti frigidi, conſeruis & conditis roſarum, & buglosſi, & admotis epithematibus, & ſacculis accommodatis, & in phrenitide, lotionibus pedum & manuum, & frontalibus peculiaribus capiti admotis, & ſumptis, nempe ſyrupo è nymphea, & dyacodio ad ſomnum accerſendum, & intemperiem obliterandam. Si febris ſymptomatica ab exuperanti putridorum humorum prouentu circa partem aliquam, præſertim principẽ inhærente proficiſcatur, victus tenuis & tenuẽs primo loco inſtituetur: deinde humor excrementitius repurgandus eſt, vt expeditior & tutior riuulis exhauſtis ad fontem mali progreſſus fiat. Si corpus plethora laborat, vena è regione viciniore partis affectę reſignabitur, vt optatius curationis votum cõſequatur.

Si verò corpus non ſit plethoricum, habenda erit potius ratio humoris corrupti circa partem cõgeſti, qui mali initium dedit. Non enim ex veris artis legibus medicinam facit, qui relicto impuro humore febris ſymptomaticæ fomite, ſyncerum ſanguinem incõmodè & inutiliter detrahit. Itaque humorum ſentina circa partem affectam cumulata, ordine & ſenſim apparabitur, & expurgabitur. Cùm enim, ex-

em pli

empli gratia, humores circa hepar infarciuntur, syrupis è cichorio, capillorum Veneris, oxymelite simplici cum decocto radicum graminis, filicis, asparagi, foliorum agrimoniæ, scolopendrij, cassuthæ & lupuli, & sacculis accommodatis parti affectæ admotis preparabuntur. Postquam apparati fuerint medicaméto peculiari, pro humoris putrescentis situ purgante euacuabuntur, veluti rheobarbaro & agarico trochiscato. Postremò hepar códitis, tabellis, & epithematibus ad hoc negotium facientibus roborabitur. Si verò febris symptomatica primordia accepit ab vlcere, hoc primum detergendum est, vt exempli gratia, vlcus pulmonum lacte asinino, decoctis & syrupis peculiaribus eluetur, suffitibusque, & alijs proprijs remedijs tandē glutinabitur. Si verò à partis principis corruptela febris symptomatica causas trahit, hæc mortifera affectus sæuitia nullis machinis expugnari potest, sed rem in angusto esse certò portendit, quæ amicis & necessarijs indicanda est. Deplorati enim & deperditæ sanitatis ægri non sunt attingendi, ne ars temerè infametur. Quod aũt pars absoluta putredinis labe vitiata nullo subsidio redimi potest, apertè confirmarunt Hipp. & Gal. his Aph. quibus cerebrũ



ſyderatum eſt, intra dies tres intereunt: ſi verò hos ſuperauerint, ſani fiunt. Et alio Aphoriſmo, quibus purulentũ iecur aduritur, ſi purum pus effluat, & album, ſalui fiunt, in tunica ipſius pus continetur: ſi verò qualis amurca profluat, intereunt. Nam teſte Galeno, quibus eſt in tunica pus illęſa iecoris ſubſtãtia omnes ſeruantur. Quibus verò in carnem vſq; iecoris corruptio penetrat, hi bona ratione moriuntur. Febribus cõtinuis ita diſcuſsis, nunc febres intermittentes excutiendę erunt, exordio ſumpto à curatione quotidianæ.

De Curatione febris Quotidianæ intermittentis.

CAPVT IX.

QVamuis omnes febres intermittentes ſint curatu faciles, ſi pro vernacula vniuſcuiuſque humoris morbum committentis peculiari eiuſdem ſede & parte affecta certa remedia dextrè & oportunè adhibeantur. Tamen ob differentiam ſingulorum humorum ſegnius diſcuſſam, focum eorundem ignauius perſpectum, partem affectam præcipuam horum effectricẽ imprudentius neglectam, & periculoſum frugiferæ methodi contemptum, ſunt vt plurimum diuturnæ, aut mortiferæ. Quocirca

circa vt res exemplis dilucidius illustretur, exordiar à varijs febris quotidianæ seminarijs, quę pro natura & differentijs pituitę, diuersas eiusdem febris species promunt. Cùm enim humor pituitosus salsus quotidianam ingenerat, perniciosior putredinis labes, magis molesta sitis, horror vehementior, vrinæ ruffæ & velocior pulsus, quàm in cæteris pituitæ differentijs perspicuè apparent. Cùm acida pituita febrem quotidianam peperit, nulla sitis, sed fames & frigus, sicuti cùm dulcis est eiusdem fermentum, magis sopor comitātur. Huius porrò febris scaturigo circa ventriculum & venas meseraicas penitus residet, vt in libr. de febribus latius disputatū est. Quod ad partem affectam spectat accusandus videtur esse ventriculus, vt Græci & Arabes vno & eodem cōsensu probauerunt, certaque experientiæ fides commonstrauit. Quæ cùm ita sint pro varijs pituitę non naturalis febrem quotidianam inuehentis speciebus, eiusdem foco & parte affecta legitima victus ratio & tempestiua remedia instituentur. Igitur huius febris curatio septem remediorum capitibus continebitur.

Victus ratione quæ pro varia pituitosi humoris natura variè instituitur, vt in pi 1.

tuita salsa magis refrigerans & humectãs, & minus incidens, quã in alia pituitæ specie, magis attenuans & incidens in acida, magis temperatus in dulci ritè decernetur Cui victus decreto minime reclamat Galenus: quippe varias pituitæ non naturalis differentias minime ignorauit, pro cuius indicationibus magis vel minus attenuantia, siue alimenta, siue medicamenta neutiquam improbauit. Idcirco in principio morbi magis coquentibus, & in augmento post tenuẽ humorem expurgatum, incidentibus & attenuantibus, pro varia humoris natura magis vel minus opitulandũ erit. Post intemperantiam & ingluuiem in principio febris quotidianæ tenuior victus erit præscribendus, vt natura noui alimenti appulsu minime præpedita liberius concoctioni indulgeat. Vsus porrò modus, & occasio cibi exhibendi in inducijs & intermissionibus febris ad legitimũ concoctionis tempus studiosè obseruabuntur. Quocirca his stabilitis, æger primum fruetur aëre puro ad calidum & siccum inclinante, vel industria sic parato. Cibi erunt euchimi, incidentes, & extenuantes magis vel minus pro humoris natura, non admodum calidi, si Auicennæ fides adhibenda est. Id genus erunt panatella, iu-

la,iuſcula,capi,pulli,carnium hędinarum, petroſelino, hyſſopo & thymo alterata, preſſa, & conſumpta, & contuſa carnium delicatarum. Potus erit vel hydromel cinamomo probè aromatizatum, vel aqua cinamomi & ſacchari, vel ptiſana cum hordeo, coriandro & cinamomo comparata, vel vinum oligophorum. Interim in principijs acceſsionum à ſomno ſunt expergiſcendi ægri, in vigore potu ſudores mouendi & in declinatione eliciendi. Porrò victus ratio inſtituetur ſemper iure ex virium perſpicientia, & loco, vt ex acceſsionum inducijs.

Minuentibus excrementitium tenuem & ad excretionem facilem humorem, aut diaphœnici, aut hieræ picræ, aut electarij indi maioris drachmis tribus, vel ſemuncia, quæ bolo cum pane azimo, vel diſſoluta cum hydro melite bene cum cinamomo vel agallocho aromatizato, vel decocto pectorali exhibebuntur. In eundem ſcopum præſcribi poterunt catapotia, quæ ex pillularum, hieræ ſimplicis ſcrupulis duobus, agarici trochiſcati ſcrupulo vno, cũ oximelite, vel decocto ſarſæ parillæ vnita ormabũtur. Clyſteres etiã ex decocto carminatiuo & remollientiũ cõparati probabuntur, cui addentur diaphœnicum, hiera 11.

picra, mel roſaceum, & oleum liliorum, & camameli. Quocirca minuendus erit primo loco humor, qui in vētriculo & venis meſeraicis reſidet, vt oneris portione leuetur natura, tutiorque præparatio poſtea procuretur. Ab agarico abſtinendū eſt nunc qui in principio humores exagitat.

111. Apparatibus humorem crudum & dulcem concoquendo, craſſum attenuando, lentum detergendo, & durum molliendo. Id genus cenſentur ſyrupi è mentha, è corticibus citri, & ex abſynthio, qui concoctionem iuuant, & calorem noſtrū augent, necnon incidentes & detergentes, nempè oximel ſimplex, mel roſaceū, ſyrupi è duabus & quinque radicibus cum decocto eupatorij, chamędris, hyſſopi, & fœniculi perfuſi. Interim habenda erit ratio humoris peccātis febrem infligentis, vt ſi pituita acida, & vitrea exuperat, magis coquētibus, attenuantibus, & detergentibus, pituita dulcis minoribus, & clementioribus horū præſidijs, ſalſa minus calidis, coquētibus & incidentibus præparabitur. Cùm enim varij exiſtunt incidentium & attenuantium ordines, varia pro humoris peccantis calore & craſsitie accommodabuntur remedia. Qualitas igitur præparantiū pro humoris natura & craſsitie, quantitas

pro

pro copia & craſsitie, vſus & occaſio exhibendorum in acceſsionum inducijs vtiliter & commodè adminiſtrabuntur. Galenus & Auicennas vno & eodem ore confirmant in principio febris à multum calidis & incidentibus abſtinendũ eſſe: quandoquidem ratum eſt axioma à leuioribus ſemper auſpicandum eſſe. Præterea in hoc plurimus debet eſſe medicus, vt cogitet de remedijs extrinſecus admouendis, quę ad affectum eximendum non parum faciunt. Sacculi autem regioni ventriculi, & venarum meſeraicarum admouendi comparabuntur ex abſynthio, ſaluia, mentha, thymo, betonica, ſynſibrio, radicibus cyperi, calami aromatici, corticibus citri, maceris, ſeminibus aniſi, cumini, fœnigræci, floribus camameli, meliloti, geniſtę, & anethi, quæ decoquentur in aqua addendo mediam partem vini generoſi. Fit verò cõcoctio contra aduerſariorum Galeni mentem humoris crudi & dulcis, qui ſi fuerit in ventriculo, aut venis meſaraicis, aut magnis vaſis facilè edomatur, & in ſanguinẽ frugi, aut ſaltem pituitoſum conuertitur.

Purgantibus humorem ſenſim & pedetentim apparatum ſignis coctionis apparentibus, vt ſcrupulis quatuor agarici trochiſcati cum aqua vitæ drachma vna, cina- IIII.

momi optimi ſcrupulo vno in vino infuſis, cuius expreſsioni addentur diaphœnici drachmæ duæ, ſyrupi capillorum Veneris drachmæ ſex, fiet potio. Ad eundem ſcopum turbith. optimi drachma vna, cinamomi optimi ſcrupulus vnus permiſcentur cum vino, & ægro non parum fœlici ſucceſſu exhibentur. Arabes autem mirificè commendant agaricum & turpetum. Præterea folliculi ſennæ ſiue infuſi, ſiue decocti cum aniſo, & cariophilis, & therebintina cum puluere hieræ Galeni permiſta ſupra modum conferunt. Quocirca cùm febres omnes intermittentes in prima corporisregione focũ obtineant, harum ſentina protinus exhaurienda eſt, triplici remediorum genere, nempe pharmaco, vomitum elicientibus, & clyſteribus. Etenim hęc præcipua remedia vniuerſam putredinis illuuiem febrium intermittentium ſobolem funditus & radicitus extirpant, modò humores rite ſint apparati. Interim cautio adhibenda erit, vt motus humorum ſtudioſè obſeruetur, qui ſi ſurſum irrepat poſt legitimum præparationis negotium oximelite comparatum, vomitũ proliciẽtib. iuuabitur. Pharmacũ verò & clyſteres præcipuam putredinis ſcaturiginem febris effectricẽ per aluum

educunt. Igitur eò vſq; apparantia & purgãtia medicamẽta inſtituẽda veniũt, quoad tota mali radix penitus euellatur. Sunt enim curatu difficiles omnes affectus, cũ hæc methodus ſiue in victus ratiõe, ſiue in pharmacia ad amuſsim non obſeruatur.

Vacuantib. potius ex opinione Arabum quàm Græc. Arabes enim contendũt cùm vrinæ rubrę ſe ꝓdunt, & cũ metus eſt continuę, venã pertundendã eſſe. Meſues pręcipit die pari ſanguinẽ potius demendum eſſe. At Auicen. opinatur dextrã ęſtate, ſiniſtrã hyeme elidendã eſſe, ſanguinemq; parca manu euacuandũ. Etenim verũ & certũ eſt Arabũ decretũ in febribus intermittentibus, cùm metuunt cruditatẽ futurã in febribus pituitoſis, & in bilioſis efferueſcẽtiam. Nam vberior ſanguinis miſsio in febre quotidiana intermittẽte cruditatẽ cõtumaciorẽ: in febre bilioſa efferueſcentiã futuræ continuæ autorẽ vt plurimũ inuehere ſolet. Hoc nomine Galenus à ſanguinis miſsione in epiala abſtinendum eſſe cenſet. Cacochimiæ enim, quæ primam corporis regionem obſidet, purgatio potius, q̃ vacuatio magis congruere videtur. Siquidem hæc ad primã corporis regionẽ vix pertingit, in locumque ſanguinis puri vacuati humoris peccantis colluuies V.

nō ſine magna ægri offenſione traducitur. Galenus tamen in libris methodi tradit hanc præſentiſsimum omniū febrium putridarum eſſe remedium, quod continuis febribus potius, quàm intermittentibus conuenit. Nam ea, quæ à Galeno in febribus intermittentibus inſtituitur, non ratione febrium ipſarum, ſed plethoræ, & metu futurarum, continuarum, ſæuiorumq́; ſymptomatum decernitur. Si ſanguis mutatur arcendus erit æger ſtatim à ſomno, non ob ſubitum, vt placuit Auicennę, ſanguinis ad interna refluxum, vaſorumque confractionem, ſed potius ob præcipitem agitationem, permutationem ſanguinis, quæ ægro non mediocre negotium facere potis eſt.

VI. Vrinas & ſudores cientibus pro humoris copia, vel craſsitie clementioribus, vel validioribus, quæ quidem ante ſigna concoctionis parū tuta eſſe ſolent. Mouebuntur autem ſudores & vrinæ iuſculis petroſelini, aſparagi, hyſſopi, thymi & cinamomi, ſyrupis capillorum Veneris, & hydromelite, in quo decoquentur radices petroſelini, polipodij quercini, acori & apij ꝑbè cum cinamomo aromatizando. Mel autem eſt huic febri peculiare ſubſidium ab Arabibus vſurpatum. Ad hæc vinum & acetum

cetum scylliticũ ad humores crassos præparandos, extenuandos, per aluum & vrinas euocandos, eximie celebrantur.

Roborantibus validioribus, vel clementioribus pro maiori vel minori intẽperie accõmodandis. Sunt aũt in hac febre ventriculus, & hepar duæ partes affectæ, quæ sumptis & admotis præsidijs pristinæ sanitati restituentur. Sumpta censentur peculiaria remedia, electarium aromaticum rosatum cum puluere galangę permistum, cortex citri condita, conserua betonicæ, dianisum, diacuminum, vinũ absinthites, theriaca, & mithridatiũ. Linimentum admouendũ regioni ventriculi cõparabitur ex oleo nardino, absynthino cum puluere nucis moschatæ, cardamomi, galangæ & macis compositum. VII.

Symptomata emendantibus, inter quæ primum sese offert frigus febribus quotidianis peculiare, quod demulcetur in principio accessionis illitu olei irini, camameli, & vini cretici addendo assam aromaticã & mirrham. Cùm verò somni immoderati importunitas obrepit, excitandus erit æger odoramentis nigellæ romanę, caryophillorum & nucis moscatæ. Imbecillitas & dolor ventriculi obliterabuntur accommodata victus ratione: dolorem lenienti- VIII.

bus, materiam peccantem purgantibus, & intemperiem delentibus. Appetentia immoderata si contrahatur in conualescē tibus à penuria & partium attrahentium robore, cibus euchimus concoctu facilis parca manu et frequenter exhibebitur. Si intemperies frigida, aut humor pituitosus acid⁹ huius mali causam dederit, abigetur calida victus ratione, subsidijs pituitosum humorem præparantibus, & vacuātibus, & reliquias resoluētibus, vt vino generoso, aut hydromelite multum aromatizato, in quo ebulierint pulegium, thymus, & hyssopus. Quæ appetentiam prosternunt ob ventriculi infirmitatem alijs affectibus succedentem, sunt prorsus repudianda. Singultus materiam mali fomitē purgātibus, reliquias digerentibus, & intēperiem corrigentibus vtiliter et cōmode profligetur. Epiala porrò est ex harū febriū colonia quam præsidia supra commemorata, sed magis incidentia, et attenuantia strenue demoliuntur.

De Curatione febris tertianæ intermittentis.
Capvt x.

Febris tertiana septem remediorum generibus adimitur.

Victus

Victus ratione, quæ in exquisita tertiana tenuior magis refrigerans, & humectans, in notha plenior non ita refrigerans & humectans, sed aliqua ex parte abstergens & attenuans sit. Vnde Galenus cõtra opinionem Alexandri Trailliani ad legitimam tertianę nothæ curationẽ aliquid piperis & origani vtiliter & cõmodè permiscet cum ptisana. Piper enim & origanum, si parca manu cum alimentis commisceantur, in temperamentis minimè calidis & siccis incommodum adferre nequeunt. Arabes contendunt in tertiana notha à bile vitellina contracta, alimenta calida, & quæ facilè putrescunt parũ tuta esse. Quod autem Galenus in tertiana vitellos ouorũ instituit, qui facilè vitium faciunt & corrũpuntur. Porrigit equidẽ febricitantibus, qui alimento euchimo & concoctu facili indigent, & quibus humorum impuritas in ventriculo neutiquam luxuriat. Quocirca in exquisita tertiana victus refrigerans & humectans decernendus est, vt sunt hordeata, iuscula borraginis, oxalidis, lactucæ & endiuiæ, simul perfuso succo limonum & arantij, quæ ex pullis & carnibus vitulinis comparabuntur. In tertiana notha victus paulò plenior & magis attenuans prę scribendus est, nonnihilque cum herbis su

pra commemoratis petroſelini & aſparagi ſimul commiſcebitur. Græci & Arabes in exquiſitæ tertianæ principio tenuem victum, in augmento tenuiorem, in ſtatu tenuiſsimum: in declinatione pleniorem exhibent. Tamen Galenus in tertiana notha alternis diebus cibum inſtituit, vt natura alimento minimé præpedita in humoris cócoctionem fœlicius incũbat. Quamobrem legitima victus qualitas pro natura & conditione humoris peccantis, limitatior quantitas pro affectus diuturnitate, & virium firmitudine, & infirmitate: vtendi modus & occaſio pro acceſsionum inducijs ſtudioſe obſeruabuntur. Medici autem conſiliũ eò dirigi debet vt quatuor aut quinque horis ante acceſsionem alimentum præbeat, quo natura ſatis vacui tẽporis concoctionis gratia ante acceſsionis inſidias nanciſcatur. Præterea in principio acceſsionum à ſomno ægri excitandi, in incremento meatus frictionibus aperiendi: in vigore potionibus ptiſanæ & ſyruporum accómodatorum, ſudores mouendi, & in declinatione eliciendi veniũt. In tertiana autem exquiſita ptiſana: in notha aqua cinamomi & ſacchari, aut hydromeli aquoſum magna cautione exhibebuntur. Vſurpanda etiam veniunt elixa potius

tius quàm aſſa. Quinetiam aſtringentia, vt pyra cane peius & angue ſunt vitanda.

Minuentibus humorem bilioſum natura tenuem & ad excretionem minimè cõtumacem medicamentis clementioribus, nempe caſsia, manna, myrobalanis, thamarindis, rheobarbaro, & alijs eiuſmodi, quę in tertiana exquiſita mirè congruunt. Ad hunc & eundem ſcopum inijciuntur clyſteres accommodati, qui ſæpè repetiti ad humoris peccantis euacuationem non parùm commendantur. II.

Vacuantibus, non ratione febris, ſed plethoræ potius in tertiana exquiſita, quàm vacuationem dedita opera prætermiſiſſe ad Glauconem videtur Galenus: quia poſt tertiam acceſsionem alibi venam pertundit, quod tempus ob vigorẽ morbi (in quo authore Hippocrate, nihil tentandum eſt) ſuſpectũ eſt. Arabes verò in hac ſanguinis miſsionem decernunt, vbi plethora, & vrinæ rubræ apparent. At in tertiana notha Græci & Arabes venam pertundunt: hiq́; venam dextram æſtate, ſiniſtram hyeme elidunt. Alij verò partis affectæ, quàm cœli maiorem rationem habent. Interim vacuatio adminiſtrabitur, cùm exuperans cruditas in primis venis minimè reconditur. Quod hoc ſeculo medici Theſſalonicæ in III.

Græcia perperam obſeruare videntur. Amatus enim Luſitanus ſcribit Theſſalonicę febres tertianas ob aëris iniuriam & inclementiam mortiferas eſſe. Verùm in hiſtoria & curatione huius febris tradit ob craſſam & ſordidam victus rationem corpora multis & craſsis humoribus ſcatere, qui eiuſdem teſtimonio ob frequentē & vberiorem ſanguinis miſsionē in magna vaſa traijciuntur, febreq; funeſtas ingenerant, & in diſcrimen vitæ conijciunt.

IIII. Humorem apparantibus bilioſum in exquiſita tertiana, aut iuſculis oxalidis, endiuiæ, borraginis, & buglosſi, aut ſyrupis è cichorio ſimplici, ex endiuia, & acetoſo ſimplici cum aquis ſtillatitijs cichorij, oxalidis, & endiuiæ ſimul perfuſis. Hi equidē ſyrupi induſtria Arabū excogitati ſunt, magis accōmodati & peculiares, quàm oximel Grecorum. Nam in ſincera bile omnia præſidia, quę mel recipiunt, ſunt parū tuta. In tertiana verò notha ſyrupi capillorū Veneris, & oximel ſimplex cū aquis agrimonię, aſparagi, & caſſuthę permiſta rite præſcribuntur. Nō ſolū in ſumēdis: ſed etiā in admouēdis pręparandi erūt humores ſacculis, regioni hepatis & venarū meſaraicarū admouendis qui ſupra ſunt explicati. Arabes aūt cataplaſmata & vnctiones

ctiones in tertiana notha ad eundem ſcopum commendarunt.

Purgantib. humorẽ bilioſum in exquiſita tertiana, cùm ad ſui excretionẽ inuitat materia apparentib. ſignis concoctionis, nempe rheobarbaro, caſſia, thamarindis, manna, & myrobalanis, & ſyrupo ex infuſione roſarũ. In tertiana notha nonnihil agarici, & ſennę, aut diaphœnici ſimul permiſceri poterit. Cũ aũt ob humorũ perfuſionẽ nulla ferè ſit exquiſita, ad ſenſum verò ſi res referatur, aliquis cenſeatur humor ſimul cũ pituita exuperante, aliquod peculiare pharmacũ permiſcebitur. Pręterea ſi ſurſum irrepat humor bilioſus, pręſertim in gracilib. & ad vomendũ facilibus per ſuperna, id eſt, vomitum cientia fœliciter & commode expurgabitur. Arabes in principio & declinatione acceſsionis ob humorum agitationẽ vomitũ decernebant. Interim in purgando habenda erit ratio humoris bilioſi, q ob incendiũ in atrã bilẽ vt plurimũ degenerat, febremq́; quartanã parit. Quę cũ ita ſint, pręcipuũ curationis negotiũ eò ſpectabit, vt ꝑ humoris peccãtis natura, medicamẽti qualitas, ꝑ eiuſdẽ natura & quantitate, tẽperamenti occaſione, & cœli conſtitutione, quantitas, haud aliter, quàm pro humoris motu vtendi modus,

& pro varijs acceſsionum inducijs, oppor tuna occaſio ſtudiosè ac prudenter inſtituantur.

VI. Sudores & vrinas mouentibus in declinatione morbi & acceſsionum, præſertim poſt ſigna concoctionis, vt ſyrupo acetoſo ſimplici, & capillorum Veneris cum decocto aſparagi, graminis, aut mulſione quatuor ſeminum frigidorum maiorum. Græci & Arabes non ſolùm pharmaco, vomitum elicientibus, & clyſteribus, ſed etiam vrinas & ſudores mouentibus, vtpote diureticis & balneo demolliuntur febrem tertianam.

VII. Alterantibus & roborantibus, ne ob veſtigia empyreumatis relicta, & ob virium infirmitatem recidiua febris priore deterior emergat. Alterant autem & roborant diamargaritum frigidum, electarium triũ ſantalorum, conſeruæ roſarum & buglosſi, & ea quæ admouentur, veluti epithemata, & ſacculi hepati calidiori imponenda.

VIII. Symptomata emendãtibus vt ſitim, linguæ aſperitatem, dolorem capitis, vigiliæ importunitatem, deiectam appetentiam, & alia id genus, quorum curatio iam tradita eſt. Sitim verò ſtatim arcet, decoctum hordei, iuiubarum, ſebeſtem, glycyrrhizę, ſeminis cucurbitæ & lactucæ. Scabritiem

verò

verò linguæ delent alumen & ſaccharum roſatum, cum aqua roſarum miſtum.

De Curatione febris Quartanæ.
CAPVT XI.

FEbris quartana nouem præſidiorũ generibus expugnatur, quę ægrè oppugnatur lethifero, vt ait Poëta, Autumno cedente pruinis, & cum deformis hyems ſtridere cœpit.

Victus ratione, quæ pro maiori vel mi- 1.
nori humoris melancholici, aut atræ bilis intemperie & craſsitie peculiariter inſtituitur. Etenim cùm febris quartana ab humore melancholico frigido & ſicco contrahitur, victus rationẽ minus calfacientẽ & magis humectantem poſtulat. Nam legitima & cõmoda victus ratio ab humore craſſo & ſicco tanquam præcipua indicatione ſumẽda venit. Igitur victus ratio magis humectans, & ob craſsitiẽ non parum extenuans, & ob frigiditatem minus exuperantem mediocriter calfaciens inſtituenda eſt, vt humor pręter naturã contraria victus ratione minori negotio edometur. Qua occaſione ductus Ariſtoteles tradit problemate 58. victum calfacientem in febre quartana ob caloris augmentum exhi-

bendum esse. Cùm verò causas trahit à bile retorrida & præassata, alimentis refrigerantibus & humectantibus ad ardorem compescendum alendi sunt ægri. Vnde Auicennas refrigerantem & humectantem victus ratione in hac febre quartana præscribit, quæ indicationibus temperamenti, humoris impensè calidi & sicci, & cæli æstuantis respondet. Nec huius sententiæ videtur reclamare Galenus, cùm in febre quartana ab humore frigido & sicco genita, synapi & salsamenta decernit: quandoquidem hæc parca manu, & per interualla ad humores crassos extenuandos, & ad robur, non ad peculiarem victus rationem instituit. Non autem Galenus contra opinionem Alexandri Tralliani fuit vsque adeò sui immemor, vt desiccantia humori melancholico natura sicco, siue alimenta, siue medicamenta porrigeret. Vbi verò febris quartana primordia accepit à sanguine adusto, minùs retorrido, alimenta leniter calfacientia & humectãtia meritò sunt offerenda. Itaque pro varijs humoris melancholici & atræ bilis differentijs, quæ febrem quartanam pepererunt, diuersa victus ratio instituetur, habita etiam ratione humoris magis vel minùs crassi. Siquidem in principio febris ab extenuantibus & inci-

incidentibus alimentis arcendi ſunt ægri, ne ob humorem multum & craſſum maior obſtructio cõſequatur, duplexque aut triplex quartana ob eiuſdem portionem in aliam partem traiectam ingeneretur.

Quocirca æqua animi lance alimenta erunt perpendenda, quæ ſi nimium frigida, craſſa & flatuoſa extiterint, humorem melancholicum incraſſant, & altius impingunt, haud aliter quàm nimis calida extorrent. Etenim cibi erunt concoctu faciles, mediocriter calidi & humidi, cuiuſmodi ſunt carnes hœdinæ, vitulinæ, volatilium elixæ potius quàm aſſæ, & piſces ſaxatiles à Galeno non improbati. Arabes vinum album ad vrinas mouendas, & rubrum ad robur. Galenus album tenue, & olygophorum ad humores craſſos incidendos, & vrinas ciendas præbent, quod diebus intermiſſionis tutiùs quàm alijs propinari poterit. Nã die acceſsionis aqua cinamomi & ſacchari, aut mulſa commodius præſcribenda veniet. Interim in principio & incremẽto febris ob diuturnitatẽ morbi plenus potius quàm tenuis: in vigore tenuis potius quàm plenus victus exhibendus eſt, ne natura à concoquendorum & excernendorum humorum negotio tunc perpe-

ram auocetur. Quod ad occasionem alimẽti porrigendi attinet: in febre quartana ab humore melancholico & sanguine adusto procreata, quinque aut sex horis ante accessionem alimenta erunt conferenda, vt natura peracta concoctione aduersus febris insultum sit vegetior. Verumtamen Arabes censent die paroxismi ob imbecillitatem ventriculi à cibo abstinendum esse. Si verò à bile retorrida seminarium trahat, ob humoris acrimoniam alimentum non denegabitur, sed maturius exhibebitur. Semper verò instituetur victus ratio, aut iure ex perspicientia virium, aut loco & inducijs accessionum.

11. Minuentibus humorem fœculentum & excrementitium clementioribus, & leuis armaturæ præsidijs, vt cassia, folijs sennæ, epithymo, catholico & pilulis è fumaria, catapotijs ex hiera. Cassia enim aut catholicum quinque aut sex drachmarum pondere in bolo, aut foliorum sennæ drachmę duæ infusæ & decoctæ, cum cinamomo & caryophilis in iusculo pulli commodè sumentur. Quod verò Galenus prodidit circa principium ante concoctionis signa medicamentis parcendum esse, ne contumacior consequatur obstructio, & ex simplici quartana duplex vel triplex emergat: Cũ equi-

equidem tria ſtatuuntur concoctionis ſigna, nempè obſcura, manifeſta, & perfecta, in principio obſcuris concoctionis ſignis ſe prodentibus natura medicamenta, quibus olim carebant Græci, non importunè propinanda erunt. Quocirca Gelenus validis medicamentis ante ſigna cõcoctionis manifeſta non vtendum eſſe vere ac ſapiẽter præcipit. Celſus tamen cenſet poſt ſeptimum diem repurgandum eſſe corpus medicamẽtis, quæ ſi mitiora ſint, commodum potius, quàm detrimentum aliquod afferre poſſunt, pręſertim vbi lienis affecti, aut paralyſis ſuſpicio imminet. Ad eundẽ ſcopum vſurpari poterunt clyſteres accõmodati, quorum ope humores molliendi, præparandi, & ſenſim euacuandi erunt.

Vacuantibus pridie acceſsionis ex baſilica brachij ſiniſtri, præſertim vbi aliqua ſolita hęmorrhoidum, aut menſium profuſio ſuppreſſa, aut ſanguis melancholicus luxuriat. Si equidem ſanguis niger & craſſus, audacius excernendus: ſi tenuis & ſyncerus, ſtatim ſupprimendus erit. Aëtius elidit venam baſilicam brachij dextri, vbi affectus hepar obſidet, quem perſpicue detegunt dolor, & tumor eiuſdem hippochondrij, & vrinæ ruffæ. III.

Apparantibus humorẽ melancholicũ, IV.

aut atram bilem peculiaribus medicamentis: quandoquidem cum atra bilis præassata huius mali causam dederit, medicamentis quæ feruorem lenient, & absque manifesto calore crassum humorem extenuant, edomanda veniet. Cũ verò humor melancholicus frigidus & siccus hanc protulerit, incidentia & extenuantia medicaméta caloris manifesti socia impune exhibebũtur, vt puluis hieræ, sarsæ parillæ, thamaricis, agallochi cum therebintina mistus. Quãobrem ad fręnandam atram bilem vsurpabuntur iuscula borraginis, buglossi, violarum, & melissæ, & syrupi è fumaria, & è pomis, cum aquis stillatitijs scolopendrij, lupuli & cassuthæ. Ad humorem verò melancholicum præparandum accommodabuntur lupulus, asplenium, cassutha, scolopendrium, polypodium, capparis, syrupus ex epithymo et oximel simplex, pręcipuè in quintana, sextana et nonana, quæ remedijs magis incidentibus et attenuantibus quàm alię febres indigent. Præterea vbi quartana non exquisita obrepit, alterius humoris cum humore melancholico perfusi ratio habenda erit, vt eadẽ opera simul medica potione ducatur. Nõ solũ sumptis, sed etiã admotis consilio Galeni procuranda est præparatio emollientibus

vnctio-

vnctionibus & cataplasmatis vtrique hypochondrio admouẽdis. Sacculi enim in lib. de compositione medicament. descripti commodè imponentur.

Purgantibus humorem melãcholicum, aut atram bilem, vbi manifesta concoctionis suffragia se promunt, vel per epicrasim syrupis & apozematibus superiori libro descriptis, aut validiori medicamento. Siquidem, autore Hippocrate melancholici infra vehementiùs sunt purgandi. Adhoc porrò legitimũ negotiũ vsurpabuntur pilulę Indę è lapide cyaneo, è lapide lazuli, è fumaria cũ puluere hierę diacolocyntidos & azari vt plurimũ singulorũ scrupulo dimidio: confectio hamech, therebintina cũ puluere hierę, & asari, & catholicũ, & agaricus trochiscatus cũ aqua vitę. Potio cõmodè parari poterit ex catholici dracmis tribus, vel semuncia: confectione hamech sesquidrachma vel drachmis duabus, confectionis alkermes scrupulo dimidio, syrupi è scolopẽdrio ʒ.6. & ex decocto buglossi, cassuthæ, chamœdrit, corticũ capparorũ thamariscis, seminum anisi, florum genistæ & persicorũ, addendo folliculorũ sennæ, & epithymi, singulorũ ʒ.2. Præterea ad eundem scopum accommodabuntur, vbi signa cõcoctionis fauẽt, clysteres purgãtes

ex ſenna & hiera, diacolocyntidos, & alijs eiuſmodi pharmacis ſuperiore libro explicatis. Omnes porrò medici contendunt pridie acceſsionis potionem porrigendã eſſe. At Hippocrates lib. de affect. docet ob materiam agitatam die acceſsionis medicamentum præbendum, cui humores expeditius cedunt. Quinetiam Græci & Arabes vno & eodem conſenſu vomitum pręſcribunt. Sed inter ſe differre videntur, qđ illi poſt cœnam pridie acceſsiõnis decernunt, vt portio humoris continentis & febrem infligentis ſimul cum æſculentis & potulentis promptius excernatur, naturaque die ſequenti poſt ſumptam theriacam cum reliquijs humorum diſcutiendis alacrius certet. Arabes autem aliquando poſt cibum, aliquando in principio. & fine acceſsionis ob agitatam materiam frequentius inſtituũt. Vomitum proritant aſarum & agaricus, in oximelite infuſa, narciſsi bulbus, radix peponis, & radicula transfixa ſurculis albi veratri infuſa in oximelite, vel hydromelite.

Vrinas & ſudores mouentibus, vbi ſi-
VI. gña coctionis ſe detegũt: quandoquidem belle & dextre omnia geruntur, quæ imitatione & ope naturæ tentantur. Ante manifeſta equidẽ concoctionis indicia, ſi diu-

retica & sudores cientia exhiberentur, cõtumaciorem obstructionem inueherent, duplicemq́; aut triplicem quartanam infligerent, sicque ægri salus perperam ageretur. Vrinæ igitur, & sudores mouebuntur iusculis asparagi, rusci, graminis, & petroselini, aut syrupis capillorum Veneris, hydromelite diuretico & vinis factitijs. Galenus & Mesues probant frictiones, & nõ improbant balneum, quod est parum tutũ splenicis, stomachicis, & hepaticis, & alijs minimè insalubre. Huius loco Laconicum tutius & commodius substitui poterit.

Reliquias præcipuè bustum humorum discutientibus, siue adhibendo medicamenta peculiaria & localia, siue vrinas & sudores mouentibus, vbi coctionis indicia se depromunt. Græci non pauca remedia familiaria celebrarunt, vt chamædrim, buglossum, verbenacam rectam, aspleniũ, succum cyrenaicum, piper, myrrhã, & theriacam. Dioscorides extollit pentaphillum, hypericum, buglossum, libanotidem, trifolium, succum ruthæ, helyotropij semen, & verniculum in dipsaci capitulo inuentum & collo suspensum. Ex his peculiarib. medicamentis electarium sic comparari põtest, ex theriacæ veteris, conseruę buglossi, libanotidis, singulorum drachmis duabus VII

assæ aromaticæ, confectionis alkermes, radicis pētaphili singulorum ʒ. 1. & dimidia, florum genistæ, hyperici, foliorum ruthæ, radicis gentianæ, singulorum ʒ. 1. styracis, calamitidis, cinamomi, laccę, seu caucami singulorum drachma dimidia, myrrhæ, castorei, singulorum scrupulo vno, croci, piperis singulorum scrupulo dimidio, Zibethi, ambræ, moschi, singulorū granis quatuor, cum syrupo è pomis, vel ex epithymo, vel scolopendrio fiat electarium, de quo sumatur pondus scrupulorum duorū, vel drachmæ vnius cum pane azimo, superbibendo vinum creticum, vel hydromel diureticum, vel vinum chamædris, fraxini, cæterach, & scolopendrij, vel liquorem vini stillatitij.

XIX. Roborātibus sumptis, vt diamosco dulci vel amaro, electario de gēmis, confectione alkermes, cortice citri conditi, vino absynthite, seu alio peculiari factitio, con seruis borraginis, buglossi, theriaca, & aqua theriacali & admotis, vtpote si ventriculus elāguescat oleo è nuce moschata eiusdem regioni imposita, si lien afficiatur, oleis è genista, & capparibus, & alijs peculiaribus remedijs ritè & tempestiuè accōmodandis, integræ & pristinæ sanitati restitui poterunt.

Sym pto-

Symptomata delentib. vtpote horrorē, 1 x.
immoderatā appetentiā, lienis obstructio-
nem, scirrhū, hydropem & paralysim. Pri-
mū molesta horroris occursatio demulce-
bitur linimēto ex aqua vitæ, oleo irino, &
anethino cōparato, & laterib. calidis pedi
bus admotis. Gal. pręscribit aliquot grana
piperis cū hydromelite. Celsus præscribit
decoctum absynthij, saluię, origani ventri-
culo & hypochōdrijs admouendū. Cùm
verò appetentia immoderata ab humore
melancholico ꝓficiscitur, peculiari victus
ratione humorē melancholicū præparan-
tibus, purgantib. eiusdē reliquias dissoluē
tibus, & partes intemperiē mali fomitē al
terantib. ordine & sensim profligabitur. Si
lien obstructione infestatur, tenuante vi-
ctus ratione humorē excrementitiū minu
entibus, apparantib. apparatū purgantib.
& postremò roborantib. radicitus extirpa
bitur. Quinetiā febrib. quartanis scyrrhus
vt plurimū succedit, quē demolliuntur, ac-
cōmodata victus ratio humorē minuentia
apparantia, purgantia supradicta, & admo
ta emolliētia, & discutiētia, quæ suo loco
postea tradentur. Interim axioma medicū
studiose est obseruādū, vt à leuiorib. auspi
cemur, & ad valentiora sensim progredia-
mur. Scyrrho lienis sæpenumero succedit

hydrops, qui vel excitatur à flatibus alicuius humoris societate permistis. Vnde tympanites suboritur, qui scirrho sublato victus ratione tenui, & flatus discutiente aquas ducentibus, hepatis, & ventriculi intemperiem alterantibus, & easdem partes roborantibus abigitur. Ascytes peculiari victus ratione humorem serosum purgantibus, vrinas & sudores mouentibus, per insensilem transpiratum attrahentibus, & hepar roborātibus expugnabitur. Leucophlegmatia victus ratione calfaciente, & siccante, humorem excrementitium præparantibus & purgantibus, vrinas & sudores mouentibus, laconico & alijs præsidijs hepatis dispositionem frigidam alterantibus, & roborantibus, peculiaribus et localibus remedijs propulsabitur. Præterea paralysis, vt plurimùm in febribus quartanis obrepit, quæ calfaciente, & extenuante victus ratione humorem mali causam effectricem incidentibus, tenuantibus, tergentibus, purgantibus, digerentibus, & roborantibus obliterabitur. Græci in hoc affectu parcius: Arabes vberius, habita ratione cœli Arabici sanguinem mittunt. Interim si affectus remedijs non cedat, sudores ope gaiaci, et sarsæ parillæ mouentia, balnea sulphurea, et causticum admotum po-

strem o

ſtremo loco inſtituenda erunt. His ita ſtabilitis ad febres implicitas eiuſdem, vel diuerſi generis progrediendum eſt.

De Curatione febrium implicitarum eiuſdem generis. Cap. XII.

FEbris implicita eiuſdẽ generis in affectuum conſentientium claſſe recenſenda, veluti duplex tertiana, quotidiana et quartana ex copioſo humore in varijs ſedibus putreſcente genita, quæ curatu facilior quàm febris diuerſi generis, vt continua, et miſta intermittens. Verumtamen cùm eædem indicationes à morbo et cauſa, vt in ſimplici intermittentẽ, ſic ſummatim et obiter excutienda venit, ſeptemq; remediorum præſidijs trucidatur.

Victus ratione peculiari ob vnumquemque humorem exuperantem, febrem infligentẽ, affectus diuturnitatẽ, & vires ægrotantis. Etenim cũ duplex tertiana ex hũore bilioſo circa hepar & venas meſeraicas: quartana ex humore melancholico circa lienem, & meſareum vitium faciente, & quotidiana duplex circa venas meſeraicas & ventriculum luxuriante, & putreſcente, & in varias ſedes ſic deuoluto ingeneretur legitimam & tempeſtiuam victus rationẽ 1.

postulat. Mesareum autem est publicum omniũ humorum receptaculum, pro quorum qualitate & quantitate variæ febres emergũt, quæ, vt tradit Alexander Aphrodisęus, ob redundantem humorũ colluuiem in venis mesaraicis congestá continuarum typum retinent. Igitur duplex tertiana minus refrigerante & humectante, & propter crassitiem magis incidente victus ratione, quàm causus & febris, peracuta indiget. Siquidẽ humor biliosus copia & crassitie magis abundare videtur, quã in simplici tertiana & minus lacessere, quàm in continua. Vnde pleniori victu, quàm in tertiana simplici, & continua, sed minus refrigerãnte, & magis incidẽte, opus est: duplex quartana ob humorem, quantitate & crassitie peccantẽ victus ratio incidens, & extenuans, & plena ob virium infirmitatem, & affectus diuturnitatem vt plurimũ decernetur. Interim seuerior adhibenda erit cautio, quàm in simplicibus febribus; quòd illæ vt plurimũ in febrem continuam degenerant, breuioresque ad tempestiuas viuendi leges induciæ dantur. In intermissionibus enim febrium authore Hippoc. cibus exhibendus est. Porro in restaurãte victu partes imbecillæ cibis euchimis roborádæ, dispositio relicta emen-

emendanda, & reliquiæ humorum repurgandæ erunt.

Minuentibus ſimul non ſeorſum humo- 110.
rem excrementitium, qui ſedes nō admodum diſsitas obſidet. Etenim vnū & idem medicamentum eodē itinere & negotio humorē mali ſobolē ducit. Quippe agens prius in propinquum, quàm in remotum vires ſuas exerit. Quocirca cùm humores in prima corporis regione, copia & craſsitie ſedes nō admodum ſeiunctas obtinēt, ſimul non ſeorſū excernendi erunt. Si autem bilis exuperat, cholagogis: ſi humor melancholicus, melanagogis: ſi pituita phlegmagogis peculiari medicamēto ducetur, vt tutior vacuatio & optatior præparatio conſequantur. Si quartana à pituita craſſa, vt opinatur Ariſtoteles, cauſas trahit, ad epialam referenda venit, legitimaque portione humor minuendus eſt. Medicus autem ſedulò ſpectare debet ſpeciē & indiuiduum.

Vacuantibus, id eſt, ſanguinis miſsione 111.
poſt cruditatis fermentum in primis venis vberiori fœnore luxurians ſublatū, ne duplex tertiana, aut quartana, aut quotidiana, in continuam degeneret, aut diuturnior euadat, aut ſæuiſsima ſymptomata ſecum adferat. Quamuis enim teſtimonio

Hippocratis, febres tertio quoque die affligentes, sunt periculosiores, quæ intermittunt, abesse periculũ significant. Tamen, quia aut in continuas facile mutãtur, aut diuturniores & ancipites euadunt, sedula opera sunt curãdæ. Nam vitio lienis cancrosi quartanæ funestæ succedunt, aut experimento Auicennæ in duodecimum annum protrahuntur: quod in multis hoc seculo obseruatum est. Mecænas, vt testis est Plinius, toto fere vitæ decursu febre laborauit. Quamobrem indicationes qualitatis, & quantitatis sanguinis, mutuabũtur ex capitibus supra commemoratis. Si quartana duplex, aut triplex obrepit, basilica sinistra: si tertiana duplex sollicitat, basilica dextra, in accessionũ inducijs sanguis mittetur. Quãdoquidem, teste Celso, sanguinem mittere in accessione hominẽ iugulare est. Preterea non sine superstitiosa cautione post inædiam sanguis mittendus est.

IV. Præparantibus humorem excrementitiũ siue biliosum, siue pituitosum, siue melancholicum, præsidijs sumptis & admotis, quæ ob copiam & crassitiem humoris peccantis rite instituuntur. Cum autẽ humor mult9, aut crassus, aut simul multus & crassus obstructionẽ, obstructio putredinẽ,

putre-

putredo febrem inuehat, statim post vacuationem humores multi & crassi apparãdi erunt, vt obstructione sublata putredo & febris protinus euanescant. Medicus autẽ debet studiose perpendere morbificę causæ præteritæ expulsionẽ, præsentis ablationem, & futuræ præuisionem.

Humorem præparatũ purgantib. peculiaribus remedijs, quæ humorẽ peccãtem clysterib. vomitũ cientibus, & potionibus extirpabunt. Interim, authoritate Hippo. quò natura vergit, eò ducere oportet. Omni equidẽ ope enitendũ est, vt dextrè adhibeantur subsidia, quorũ beneficio vna tertiana, vel quartana altera prior ꝓfligetur, ne æger in febrem cõtinuam periculosam præcipitetur. Cũ .n. medicina (teste Hippocr. in libr. de arte) sit morbos tollere, & impetus obtundere, & à morbo victos nõ curare, medici sunt partes tutò & citò duplicem tertianam, vel quartanã, vel quotidianam propulsare, & impetus obtũdere, à morboq; victos non curare, qualis est, vt docet idem Hipp. quintana, quæ tabidis contingit. V.

Vrinas & sudores mouentia, roborantia & symptomata emẽdantia ex superiorib. capitib. petẽda sunt, ne eadẽ sæpius inculcare superuacaneum esse videatur. VI. & VII.

De Curatione febrium implicitarum diuersi generis. Cap. XIII.

FEbres implicitę affectus dissentientes, vt pote hemitritei ex cõtinua & intermittente compositi, hectica & humoralis, essentialis & symptomatica sunt curatu difficiliores, quàm simplices continuæ, quę ab intempestiua & exuperanti aëris occursatione, importuno et vario ciborũ appulsu et molesta rerum externarum importunitate originem ducunt. Cùm autem, authore Galeno, omnes affectus, aut ab aëre aut ab his quę offeruntur, aut ab operibus exordium sumant, hi morbi inter se dissentientes ab insolita & inordinata aëris exuperantia, à varijs & cacochymis alimentis, & laboris improbitate, præsertim hemitritei causas trahunt. Qualis equidẽ aër, tales spiritus, quales spiritus alimentorũ beneficio, tales humores: quales humores, tales facultates & functiones emergunt. Quæ omnia magis inualescunt, cùm agentis robur, corporis ꝑparatio, & diuturna mora simul conspirant, vt cernere est in autumno, qui propter aëris inconstantiam & inclementiam, corporum infirmitatem, & liberaliorẽ fructuum vsum, hos pernitiosos affectus, præsertim hemitriteum profert.

Hanc

Hanc calamitatem ſic Virgilius in Geor gicis deſcribit:

Hic equidem morbo cæli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas totoq; autumni incanduit æſtu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
Corruptiq; lacus infecit pabula tabo.

Quãuis hi affectus ſint dubij & ancipites, tamen ægri non ſunt vſque adeò deperditæ ſanitatis, quin adhuc curationi relinquatur locus, quę ſeptẽ remediorum capitibus continetur.

Victus ratione, quę pro varia & peculiari affectuum implicitorum diſſentientium natura peculiariter, & tempeſtiuè inſtituitur. Primùm ſumma cautione obſeruandum eſt in morbis anomalis & malè moratis ob variã humoris perfuſionẽ longiorem morbi hiſtoriam, & virium imbecillitatẽ, tenuiorem victũ non eſſe pręſcribendum, vbi exquiſitus hemitriteus ex æqua humorũ perfuſione profectus obrepit, victus ratio mediocris contrarietatis particeps decernetur, quæ vtriq; febri ex æquo congruat. Vbi verò nõ exquiſitus ſollicitat ꝑ affectu et humore vrgẽtiore limitatior viuendi lex inſtituetur, q̃ humorem magis exuperãtem, viriũ robur, corporis naturã, et cælum ſpectabit. Interim victus ratio non admodum tenuis præſcribenda erit, 1.

quod, authore Auicenna, hæc febris diutius protrahitur. Præterea sedulò obseruãdum est, ne alimentum sæuiente febris intermittentis accessione offeratur, potusq; vrgẽte siti in principio eiusdem accessionis exhibeatur. Nam febris vtraque continua et intermittens ob alimentum intempestiuè ingestum nimiopere excandesceret, potusque prisanæ ad demulcendam sitim, in principio accessionis exhibitus ob humores exagitatos, & à putredinis foco in ventriculum effusos, in centroque corporis contentos, feritatem affectus augeret, nisi opportunũ vigoris tempus expectaretur, quo calor ad superficiem euocatur, simulque cum eo humores traijciuntur. Si verò febris hectica et humoralis, siue continua, siue intermittens ægrum simul exercet, vtrique febri victus ratione refrigerante et humectante, et putredini obsistente, prouidenter consulendum est. Vbi autem febris symptomatica simul cũ essentiali inuadit, vrgentioris altero non neglecto, habẽda erit cura, cuius legitima diætę instituendę methodus ex simpliciũ febrium curatione petenda venit. Porrò instaurans victus post morbi victoriã semper est instituendus, qui virium et effluuij iacturam reparabit.

Minuen-

Minuentibus humorem excrementitiū, II.
nempe bilem et pituitam æquo pondere
exuperātem, ſi eſt exquiſitus hemitriteus.
Cùm verò nō exquiſitus ſollicitat humor
magis luxurians, ſiue pituitoſus, ſiue bili-
oſus accommodatis præſidijs repurgabi-
tur. Interim humor peccans, qui primam
corporis regionem obſidet, ad colluuiem
minuendam optatiorem præparationem
& tutiorem vacuationem protinus exhau
rietur, ne huius traiectio in magna vaſa ſę-
uiora ſymptomata inuehat. Idem ſtatuen-
dum erit de eſſentiali et ſymptomatica, vt
ſordeſcens putredinis labes purgetur, pe-
riculoſaq; huius ſymptomata eadem ope-
ra demulceantur. Si hectica et humoralis
ſimul immaniter affligunt, noxia humoris
peccantis portio blando pharmaco duce-
tur, quod febri hecticę minimè incommo-
dabit. Etenim fieri non poteſt, vt hectica
profligetur, niſi febris humoralis prius a-
dimatur.

Vacuantibus id eſt, ſanguinis miſsio- III.
ne, quæ pro magnitudine vtriuſque affe-
ctus viribus, et temperamento ægrotantis
habitu corporis, ætate, cœli conſtitutione,
victus ratione ſuppreſſa, vel immodica e-
uacuatione, et futura actione lęſa legitime
& tempeſtiue inſtituetur. Interim in hoc

ſtudioſe incumbendũ eſt vt vrgentiori affectui, altero non neglecto occurratur, qui quidẽ, teſtimonio Galeni, vrget, vel propter affectæ partis præſtantiã, vel affectus magnitudinem, vel malignitatem. Prudẽtis ſanè eſt medici, tãquam ex alta ſpecula prȩuidere cũ quibus, & quot hoſtibus certandum venit. Si autem inflãmatio partẽ principem occupat, mollienda erit vacuatio, quæ è regione eidem reſpondet, præſidiaque localia eodem negotio admouebuntur.

IIII. Præparantibus humores multos & craſſos, qui ingentem obſtructionem in hoc affectu pepererunt. Non ſolùm autem in prima, ſed etiam in ſecunda ob febrem cõtinuã & intermittentem deliteſcit obſtructio, quæ peculiaribus ſubſidijs bilẽ & pituitam apparantibus, in hemitriteo expedienda venit. Sumptis & admotis ſupra commemoratis rite profligabitur. Hoc idẽ accuratè prȩſtandũ erit in febre humorali, quæ febris ſymptomaticæ aut hecticæ comes exiſtit.

V. Purgãtibus humorẽ pituitoſum & biliſum probè apparatũ in hemitriteo remedijs phlegmagogis, & cholagogis. In febre hectica & ſymptomatica cũ humorali implicita magna cautione adhibenda eſt

purgatio, ne pro commodo, funeſtum incommodum conſequatur. Interim ad legitimam & tempeſtiuam purgationẽ accingendum eſt, quę affectum hũc adimit, ſine q̊ alter nulla induſtria extrudi poteſt. Cũ verò in hemitriteo bilis pituitam polluat, & putrefaciat, & velut continuo ſtimulo exagitet, feraque ſymptomata ſimul excitet, clementioribus & minus calidis medicamentis agendũ erit quàm in febre intermittente.

Roborantibus ſumptis, vt ſaccharis, ſeu conſeruis, conditis, & tabellis, & admotis, vtpote epithematibus & linimentis peculiaribus, quæ iam fuſiùs explicata ſunt. VI.

Symptomata emendantibus vt ſitim, vigiliam immoderatam, coma, dolorem, grauitatemque capitis, & extremarum partium frigiditatem. Cùm humores bilioſi & pituitoſi, ſalſi ſeu corrupti ſitim pepererint, accommodatis pharmacis ſunt purgandi, ſine quorũ legitima excretione ſitis nullo modo edomari poteſt. Cùm verò calor & ſiccitas hanc inflixerint refrigerantibus & humectantib. demulcebitur. Dioſ. ad huius rei ſcopum tragacantham cum ſeminibus cucumeris tritam, & cum ouorum recentium albumine crudo dilutam VII.

catapotia fingit, quæ tempore sitis sub lingua tenentur. Vigilia immoderata frontalibus et lotionibus suprà commemoratis abigitur. Coma seu somnus profundus clysteribus paulò validioribus, frictionibus, ligaturis, postremò vesicatorijs collo admotis, & synapismis, si prioribus remedijs non cesserit morbus, expugnabitur. Auicennas commendat ligaturas dolorem infligentes. Capitis grauitas purgatione, reuulsione, deriuatione, clysteribus acribus, cucurbitulis & apophlegmatismis, intemperiemque alterantibus propellitur. Auicennas prima 4. tractatu 2. cap. 19. suffitum ex decocto chamæmeli, furfuris & rosarū commendat. Si extremarum partium frigiditas à caloris influentis penuria contracta sollicitet, cibis euchimis fulciendus et reficiendus erit æger. Si dolor hunc affectum progignat, humores peccātes huius symptomatis causæ effectrices purgandi, flatus discutiendi, dolores leniendi, et partes externæ calfaciendæ, vt eadem opera, calor à centro ad superficiem reuocetur.

His ita stabilitis ad febris pestilentis & sudoris britannici curationem properandum est.

De Curatione febris pestilentis & sudoris britannici. CAPVT XIV.

PEstis seu febris pestilens vno &eodem Græcorũ & Arabum consensu est continua, maligna, venenata, & non vulgari putredine constans, cor præcipuè conuellens,& insidiose interimens, quę quidem, vt docent Galenus libr. 3. de præsagit. ex pulsib.& Auicennas prima 4. tractat.4. capit. 1.aut spiritus,aut humiditates, aut substantiam cordis corrumpit, à causaque occulta,aut manifesta originem trahit.Causa porrò occulta ad Deum Maximum referenda venit, qui hominum scelera misera pestis calamitate vlsciscitur, vt sacra oracula confirmant.2. Reg. cap.21. Et apud Ieremiam cap.14. Huic diuino decreto subscripserunt Ethnici & extranei, qui Christianismum ignorabant, vtpote Galenus in procemio libr. primo Epid. Plutarchus in vita Romuli, & Titus Liuius libro sexto. Causa verò manifesta dependet ab insolita & inordinata caliditatis & humiditatis exuperantia, & ab aëre qui inficitur, & conspurcatur à putridis cadauerum,aquarum stagnantium,mineralium, terræ motuum, specuum, & vnguentorum venenatorum expirationibus, vt ratio atq; ex-

perientia ſatis atque ſatis fidem faciunt. Etenim Hippocrates libr.3. Epid. Galenus libro primo de different.feb.& Auicennas 1. 4. tractat. 4. cap. decimo, contendunt à caliditate extranea, humiditate exuperanti, & auſtrina conſtitutione putrefactionem generari, & febres peſtilentes excitari. Galenus & Auicennas ſcriptum reliquerunt inter pernicioſa inquinamenta à cadaueribus aërem contaminari, quo homines peculiari quadã ſympatia promptius & citius afficiuntur, & inficiuntur. Inter hos etiam calidi & humidi poros apertos obtinentes, pueri, vtero gerentes, & intemperanter viuentes hac funeſta & mortifera lue celerius corripiuntur. Plinius verò prodidit lib. ſeptimo cap.50. ſenes ob ſiccitatem non ita facilè conſpurcari. Quinetiam alimenta vitiata in cauſa manifeſta recenſentur, quę in difficili annona corruptos & malignos humores ingenerant, effrœnatumque peſtis affectum infligunt. Cæterum cùm non deſint plures eximij medici, qui contra ſacra oracula, & magnorum authorum teſtimonia peſtem à ſyderum cõmiſtione, & cæli motu defluere cenſent, quorum ſuperſtitioſæ opinioni breuiter & obiter ſatisfaciam. Primùm ſacram Hieremiæ authoritatem profe-

proferam, quæ hanc contumeliosam opinionem apertè demolitur, cùm docet non esse metuenda signa, quæ timent gentes, subditque ad certam huius rei cõfirmationem, vanas & irritas esse earum leges. Huic diuino decreto astipulantur Basilius Magnus in Hexamerũ & Genesi: & Diuus Ioannes Chrysostomus commentarijs in Matt. cùm scripserunt. Nõ mediocri iniuria cœlos & astra inurere eos, qui ab his aliquid vitij deriuari sibi falsò persuadent: quippe primam & puram formã à Deo impressam nunquam exuerunt. Horum certissimæ sententiæ minimè reclamant Plato in Epinomide, & Aristoteles libro nono Metaphis. qui prodiderunt astra corpora pura, simplicia, bona, non maleuola, corruptioni & mutationi minimè obnoxia; quæ nihil maligni in hanc inferiorem regionem impertire possunt. Nam astra & sydera suapte natura pura & simplici forma constantia aliam formam imperfectam obtinerent, ex qua aliquid impurum ad nos dimanaret. Nec est satis quod obijciant astra simplicia & minimè mala esse, sed vario eorum motu & congressu hanc mortiferam aëris pestilentis luem in hanc elementarem regionem dispergi. Siquidem cùm astra sint pura, sim-

plicia, ſimpliciq́ue forma conſtent, nec mi-nui, nec mutari, nec aliam formam in quouis loco & horoſcopo adipiſci poſſunt: ſed calore viuifico, non elementari motu, & lumine vapores, exhalationes, & omnia metheora pro ſubiecta materia excitant, ſimul ventos ſuſcitant, variasq́ue conſtitutiones impellũt, quarum occurſatione varij morbi emergunt. Aliud equidem eſt ex ſubſtãtia & forma, & congreſſu aliquid maligni demitti, aliud calore cœleſti, lumine & motu vapores tetros ex cadaueribus, aquis ſtagnantibus, mineralibus, & ex ſpecubus excitare. Plato in Epinomide non ſolùm à ſimplici forma corruptioni & mutationi minimè obnoxia, ſed etiam à motu, & congreſſu fœdum aëris peſtilentis virus minimè induci, cùm admiratur cœli, & ſyderũ magnificam, decentem & optimam choream, quæ nullam perniciem in hæc inferiora diffundere poteſt. Si Hippocr. Galenus & Auicẽnas, alijq́ue grauiſsimi authores aſtrorum & ſyderum meminerunt, eo animo tantùm mentionem fecerũt, vt iam latius demonſtraui, quò anni tempora, ſolſtitia, & æquinoctia deſcriberent. Quocirca aſtra, & ſydera, & cœli calore, lumine & motu aliquid malignum in hanc inferiorẽ regionem eiaculari nequeunt, cùm id pręſtarent,

ſtarent, aut vt qualitates, aut vt liquores, aut vt corpora, quæ vt iam fuſiùs explicatum eſt, nullo modo contingere poſſunt. His ita conſtitutis, antequam contagioſa cauſarum externarum ſentina eluatur, certa curationis & præſeruationis febris peſtilentis methodus deſcribetur, ad Deum Maximum Summum huius vniuerſitatis architectum & moderatorem confugiendum eſt, qui Sacris teſtimonijs, vtpote lib. 2. Paralip. cap. 7. vera fide & pura mente inuocandus eſt, vt ab hac pernitioſa cõtagione ſe redimere poſsint homines. Quod ad cauſam vniuerſalem ſpectat, nempe fœdã aëris impuritatem, primarium peſtis ſeminarium, magiſtratus pręcipuę ſunt partes, vt hæc venenata qualitas publicis ignibus excutiatur, præſertim cùm hæc mortifera lues populariter graſſatur. Hoc equidem Empedocles, Acreon, Hippocrates in rem hominum olim pręſtiterunt. Si à ſpecubus & aquis ſtagnantibus hæc maligna expiratio contrahatur, ſpecus erunt occludendę, & aquæ ſtagnantes vel deſiccandæ, aut aquarum alueis irrigandæ. Si hæc funeſta colluuies à cadauerum ſtrage & clade oboriatur, hæc humi recondenda protinus venient. Interim cùm hæc immanior & ferocior febris peſtilentis calamitas inſidiatur,

magiſtratus etiam in hoc totus eſſe debet, vt homines periti eligantur, qui pro ægrorum curatione loca comoda, & ad affectũ profligandum neceſſaria cõparabunt, medicique & chirurgi experti huic difficili negotio complendo præficiantur. Etenim ſi teſtimonio Hippocratis oportet in omnibus morbis non ſolũ ſeipſum præſtare oportuna facientem: ſed etiam aſsidẽtes & exteriora, quantò magis in hoc funeſto morbo omnia accuratius ſunt accommodanda. Nunc ad curationem venio, quæ octo præſidiorum generibus perficietur.

1. Victus ratione, quæ in hoc verſabitur, vt alteret, & malignitatem depellat. Primùm cùm, authore noſtro Hippocrate in libro de flatibus aër ſit vitæ & morborum author, æger cane peius & angue, aërem impurum & vitiatum vitabit, frueturque puro, lucido, & ad ventos ſalubres vergente, qui ignibus luculentis, aut ſuffitibus pro varia cœli conſtitutione accommodatis emendabitur. Cibi euchimi non excrementitij, ſed authore Auicenna prima quarti tractatu quarto capite quarto refrigerantes, acidi, deſiccantes, putredini obſiſtentes, & malignitatem depellentes erunt. Primum gelatinę, collata, preſſa, deſtillata, inſtaurantia, hordea-

hordeata, panatellæ ex pane loto confectę & iuscula ex carnibus vitulinis, & pullorũ præparata cõparabuntur, quibus admiscebũtur succi citri, limonũ, arantiorũ, scabiosa, pimpinella, oxalis, buglossus, & ea quę ad pestem profligandã faciunt. Cùm autẽ vires in hoc periculoso affectu elanguescunt, & sensim liquescunt, cibus paucus & frequentior est offerendus. Quamuis verò sit deiecta appetentia ad cibum sumẽdum cogendi sunt ægri: quandoquidem testimonijs Arabum, qui vtiliter concedunt, ab huius morbi pernicie vindicantur. Qui febre diaria pestilenti conflictantur, parco & pauco alimento sunt fulciendi, ne sudorũ impetus intercipiatur. Potus erit ptisana ex hordeo, coriandro, seminibus oxalidis, citri, cardui benedicti, & cidoniorũ parata, addẽdo paucum acetum, quod sua natura refrigerat, & putredini reluctatur, magisq; biliosis quàm melancholicis est peculiare. Quamobrem victus refrigerãs, & malignitatem depellens pro natura ægri, & cæli, quantitas pro viribus, ætate, & aëris constitutione instituetur. Præterea in hoc obnixè incumbendum est, vt in principio morbi à somno arceatur æger, qui omnino exitialis est, quoad insidiosa veneni labes foras extrudatur.

Siquidem contra quorundam recentiorum opinionem somni tempore venenata qualitas intus remanet,& cordis substantiam promptius obsidet. Itaq; frictiones loco motus, & ligaturę dolorem adferentes decernendæ erunt, quæ hoc perniciosum virus intus delitescens foras euocabunt. Interim religio esse debet in porrigendis carnibus assis: Nam, authore Galeno, carnes assæ non sunt offerendæ ijs, qui acuta febre laborant.

Gal. Comm. in li. de rat. vict. in morb. acut. cap. 17.

11. Malignitatem arcentibus & corroborantibus, quæ protinus sunt porrigenda, antequam contagiosa qualitas cordis substantiam occupet. Quippe, authore Galeno libro tertio de præsagitione ex pulsibus, vbi venenata qualitas cordis substantiam obsidet, ægri deperditæ sanitatis euadunt. Porrò alexipharmaca seu amuleta, quæ aëris pestilentis contagia excutiunt, aut sunt simplicia, aut composita, eorumque alia sunt frigida, alia calida, quę aut intus sumuntur, aut foris admouētur. Simplicia frigida censentur, aurum, argentum, acetum, bolus armenia, coriandrum, caphura, lapis bezoar, buglossus, borrago, myrobalani, ebur, semen oxalidis, nymphea, thamarindi, portulaca, granum tinctorium, succinum, oxis Plinij, viola, corallus,

lus, os è corde cerui, cornu vnicornis, hyacinthus, ſmaragdus, vniones, margaritæ, granata, fragmenta pretioſa, & terra Lemnia. Alia ſunt calida, acorus, ariſtolochia, abſynthium, amomũ, agaricus, allium, ambarum, angelica, ben vtrumq; biſtorta, calamintha, calandula, dictamnus, eupatoriũ, maiorana, balſamita, tormẽtilla, moſchus, ſcabioſa, rutha, valeriana, chamędris, pulegium, liſimachia, hypericum, myrrhis, ſaluia, abrotanum, carduus benedictus, galãga, cyperus, gentiana, meliſſophilum, myrrha, therebintina, ſpica nardi, nux moſchata, betonica, tapſus barbatus, ocimum, roſmarinus, marrhubium, caryophilum, cinamomum, cybeta, lignum aloës, & cortex citri calida, cuius ſuccus frigidus eſt. Alia ſunt compoſita, cuius coloniæ exiſtunt, conſeruę buglosſi, violarũ, ſcabioſæ, nympheæ, roriſmarini, cortex citri condita, radix eryngij condita, myrobalani conditi, zinziber & zurumbet conditum ab Arabibus celebratum, quod Zedoaria nuncupatur. Inter compoſita medicamenta principatum tenent antidoti, vt theriaca & mythridatium, quæ præſtantia & vtilitate cęteris prælucent. Sunt & aliæ, vt antidotus Ælij Gaij, qua vtebatur Cæſar, & in alia in theſauris Mithridatis reperta, quę ex cari-

çarum pinguium, & nucis ſingulorum nu. 3. & foliorum ruthę nu. 20. & ſalis ſcrupulo dimidio componitur, hanc mirificè extollit Nicander. Quin etiam celebratur hoc ſeculo antidotus de ouo, quæ excipit ouum numero primo, ſublato albumine, per huius acumen croco impletum, ſub cineribus poſitum, & ad nigredinem decoctum, in puluerem q́; redactum, radicis tormentillæ morſus diaboli, angelicæ, pinpinellæ, dictamni, Zedoarię ſingulorũ dracmas duas, theriacę vncias tres, miſceantur omnia cum aqua ſcabioſæ, & roſarum, & fiat electarium. Præterea ſyrupi peculiares proſtant apud officinas, vtpote è limonibus, ex acido citri ſucco, è ſcabioſa, è meliſſa, è bugloſſo, è borragine; ex oxalide, è pomis, acetoſus ſimplex, & oxiſaccharum. Liquores ſtillatitij ex ſimplicibus alexipharmacis comparantur, vt liquores ſtillatitij meliſſæ, ſcabioſæ, roſarum, cardui benedicti, & alij huiuſmodi.

Ex his omnibus componi poſſunt condita, electaria, tabellę, & pulueres, vt exẽpli gratia: Conditum extemporaneũ fingi poterit, ex conſeruarũ borraginis, bugloſsi ſingulorum vncia vna, boli armenij, terræ lemniæ, ſingulorum drachma vna, raſuræ eboris, ſpodij ſingulorũ ſcrupulis duobus,

ſemi-

ſeminum citri, ocimi, pulueris diamargariti frigidi, ligni aloës, oſsis de corde cerui ſingulorum ſcrupulo vno, ſacchari roſati quantum ſufficit, fiat conditū. Ad eundē ſcopum comparabitur electarium ex theriacæ veteris metrhidatij ſingulorum vncijs duabus, conſeruarum bugloſsi, oxalidis, carticis citri conditi ſigulorum vncia vna, boli armenij drachmis duabus, puluere radicum, zodoariæ, dictamni, pentaphilli, tormentillæ ſingulorum ſeſquidrachma, corallorum, raſuræ eboris, cornu cerui, ſantalorum ſingulorum ſcrupulis duobus, pulueris diamargariti frigidi, letitiæ Galeni ſingulorum ſcrupulo vno cum ſyrupo conſeruationis citri fiet opiata, vel parabuntur tabellæ ex hiſdem ſimplicibus alexipharmacis, cum ſaccharo aquis meliſſæ, & ſcabioſę diſſolutis & miſtis. Conditorū & tabellarum drachmæ duæ, & antidoti drachma vna & dimidia, aut ſcrupuli quatuor cū ſtillatitijs liquorib. aut ſyrupis ſupra cōmemoratis æſtate, & cū vino hyeme exhiberi poſſūt. Sunt etiam quędam, quę foris admouentur, & malignitatem contagionis peſtilētis abigunt, vt ſacculi ex pulueribus alexipharmacorum cōpoſiti, olea hyperici, & è ſcorpionibus, & pomū odoratum. Tamen ſtudioſe obſeruandum eſt

quod ad precautionē cū vino, aquis stillaticijs & syrupis, cùm febris vrget, syrupis aut aquis stillaticijs, non cum vino ad augendum febris incendium instituantur. Quinetiam theriaca, aut mithridatium cū liquorib. permista, et ad præcautionem, & ad curationē regioni cordis vtiliter & cōmodè admoueri possūt. Siquidē febri hecticę pestilenti alexipharmaca sumpta, & admota, diariæ eadem & sudores & vrinas mouentia & huic quæ humiditates cordis depopulatur, omnia alia presidia citò & tutò opitulantur. Tamen vt pestis, authore Galeno, sine febre, vel cū febre grassatur, sic febris cum peste epidemicus, & sine peste peculiaris & minus perniciosus contrahitur.

Lib. 3 Epid. sect. 3.

118. Minuentibus humorem maligna qualitate, aut quantitate exuperantem nullis datis inducijs, quod hic morbus sit effrenatus, & præceps, inopinatasq; insidias pre se fert. Galenus enim lib. 10. de different. feb. docet statim corpus repurgandū esse, antequam vires labascant & corruant, & febris pestilentis virus cordis substantiā occupet. Medicamentorū porro natura pro humoris peccantis conditione, quantitas pro viriū robore corporis, humoris & cœli constitutione, vtendi modus pro humoris

motu

motu ritè prçſcribetur, ſemper additis his, quç alterant, & malignitatem propellunt. Medicamenta autem peculiaria erunt, caſſia fiſtularis, manna, thamaryndi, myrobalani, rheumbarbarum, agaricus, catapotia ruffi, è fumaria, aggregatiuç, catholicum & confectio hamech, aliaque eiuſmodi cũ aquis meliſſæ, ſcabioſç, cardui benedicti, vel decocto ſarſç parillç, cynæ, ſeminum cytri & cardui benedicti infuſa, vel diſſoluta: addendo ſyrupi è ſcabioſa, vel è limonibus, vel è pomis ℥.s. vel drachmas 6. boli armenij ſcrupulum dimidiũ. Hoc videtur apertè contra multorum opinionem confirmaſſe Galenus lib. 5. Method. cap. 12. cũ ſcribit febre peſtilenti correptos exſiccationem poſtulare, corpuſque potione, aut vomitu purgandum eſſe. Cùm autẽ natura humorum corruptorum portione leuatur, reliquias humorum pernicioſorum expeditius edomat, tuncque puſtulç vt plurimum efflorescunt, ſicque omnes ſalui euadũt. Auicennas huic ſententiç aſtipulatur prima 4. tract. & cap. eodem, cũ prodidit febrem peſtilentem deſiccationem, phlebetomiam, & ventris ſolutionem ad verã huius curationem requirere. Quod verò Hippocrates docet lib. 3. Epid. quoſdam alui profluuio perijſſe, de alui profluuio

ſymptomatico & colliqueſcente hic locũs intelligendus venit, cùm eodem lib. ſect. 3. declarat aliquos per alui turbationem, tempeſtiuamque excretionem vrinarũ ſanitati reſtitutos fuiſſe. Sed quidam obijciunt venenatam qualitatẽ poſt apparentẽ bubonem ad internas partes vi medicamẽti elici poſſe. Huic incõmodo facilè occurrere licebit, ſi buboni emplaſtrum attrahens, vt ex ammoniaco, galbano, oppopanace, & theriaca concinnatum, & cucurbitulæ admoueantur. Adde quòd maligni humores ope medicamenti & robore naturę foras extruduntur, hoſteque ſic profligato nullum periculum expectandũ eſt. Interim conſilium Hippocratis alta mẽte repoſitũ eſſe debet, vt quò natura vergit, eò ducentur humores. Si enim ſurſum irrepat humor, vomitũ cientibus purgabitur: ſi in inteſtina deuoluatur, aluus clyſteribus erit ſollicitanda.

XIIII. Vacuantibus ſanguinem, vbi corpus eſt plethoricum, & vires non reclamant, vt cõfirmant Hipocrates lib. 4. acutorum Galenus lib. de curand. rat. per ſanguinis miſsionem: & Auicennas prima. 4. præſertim cũ ab aëre corrupto originẽ ducit. Tamen Galenus in lib. de ſuccor. bonit. videtur improbare ſanguinis miſsionem,

quæ

quę in difficili annona à cibis cacochimis, humorum corrupta, & magna virium infirmitate nascitur. Etenim cũ humores non solùm in cordis substantia, sed in toto corpore nimiopere exuperant, viriumque infirmitas simul consequitur, sanguinis missio parum tuta esse videtur. Quod verò nõnulli recentiores sibi persuadẽt sanguinis missionem exagitare humores, & eosdem per vniuersum corpus diffundere, tantùm equidẽ abest, vt vacuatio humores impellat, & effundat, vt à corde & genere venoso virus statim & confertim detrahat. In principio febris vena est pertundẽda, antequã venenata pernicies cordis substantiam occupet, affectus ferocior euadat, & vires supra modũ elanguescant. Auicen. 1. 4. tract. 4. cap. 10. in exanthematum & ecthymatũ curatione à sanguinis missione ante 4. diem auspicandum esse scribit: quòd tunc tẽporis efferuescit sanguis, & exanthemata nondum se in apertum dederũt. Quamuis si corpus est plethoricũ in signis sit sanguinis efferuescẽtia, exanthemataq; integrè non eruperunt, rursus parca manu necessitate vrgente sanguis erit mittendus. Cæterùm elidẽda erit vena habita ratione partiũ in quibus extuberant bubones, vt si pone aures emergant, cephalica; si sub

axilla mediana, si in inguine saphena pertundetur. Cùm verò pustulæ ob copiam & efferuescentiam in cute efflorescunt, mediana vel basilica secabitur, vt natura sanguinis maligni portione leuata in reliquias expeditius incumbat, impuritatemque venenatam ad cutim excutiat. Hæc tamen sanguinis missio non videtur esse instituẽda post exanthematum eruptionem, nisi ob sanguinis copiam & excandescentiam febris inualescat. Cùm venenata qualitas, spiritus, aut solidas cordis partes obsidet, repudianda est vacuatio.

V. Præparantibus humorẽ vel pituitosum, vel melancholicum, vel biliosum peculiaribus subsidijs, vt obstructione sublata ꝓtinus mitescat affectus. Nam cùm humorũ copia obstructionem pepererit, hæc vti in alijs affectibus expedienda venit, quò natura humores peccantes celerius excernat aut medicamentis facilius cedant. Igitur cùm humores biliosi obstructionem inuehunt, syrupo è cichorio simplici, & acetoso simplici cum aquis buglossi, oxalidis & eupatorij apparabũtur. Cùm verò humor melancholicus id vitij inflixerit, syrupi è fumaria, è lupulis, è buglosso cũ aquis melissæ, scabiosæ, & cardui benedicti mirificè opitulabuntur. Præterea cum retorridi &

ferui-

feruidi euadunt humores, alterantibus, & malignitatem depellentibus sunt obtundendi, vt syrupis è limonibus, violaceo, è buglosso, ex oxalide semper additis peculiaribus alexipharmacis. Vnde Arabes legitimè & oportune instituũt aquam frigidam, & refrigerantia subsidia ad extinguendum caloris incendiũ, in duobus primis diebus ante ecthymatõ & exanthematon eruptionem. Cùm verò post tres dies incipiunt efflorescere, parum tuta sunt alterantia & refrigerantia, quòd humorem peccantem in partibus internis non sine magno discrimine retinerent, eorumque ad cutim eruptionem remorarentur.

Vrinas, & sudores cientibus, cùm eò feruntur humores, veluti in diaria pestilenti, quę sudorum eruptione soluitur. In alijs verò febris pestilẽtis differentijs vrinas & sudores mouentia sunt contra recentiorũ quorũdam opinionem parum tuta, nisi eò vergat natura, & meatus sint aperti. Quod autem apud magnos authores, pori cutis aperti, & astricti probantur, & damnantur: qui quidem in aëre corrupto suspecti esse debẽt: quandoquidem expiratio venenata non solùm per os, sed per arterias ad cutim pertingentes in cordis arcẽ obrepunt, vt testis est Galen. lib. 1. de differ. feb. cap. 4. VI.

K

Si verò humor malignus in corpore delitescat, pori cutis aperti non improbantur, qđ humores mali effectrices expeditius effluunt, ægrique citius liberantur.

VII. Exanthemata, ecthymata bubonem & carbunculum ſanantib. quæ febres peſtilentes ſæpenumero comitantur. Primùm exanthemata & ecthymata ex bile, aut ſanguine efferueſcente profecta graſſantur vt plurimũ poſt conſtitutionẽ auſtralem vere potius, quàm hyeme, & aliquãdo autũno propter humorum malignitatẽ, aggrediunturq; frequẽtius calidos & humidos, pueros & adoleſcentes, rarius iuuenes, & rariſsime ſenes, curanturq: peculiari victus ratione, alexipharmacis minuentib. vacuãtibus, accelerantibus, ſanantib. & ſymptomata depellentibus. Victus ratio pro varijs exanthematũ tẽporibus varie inſtituetur. Nam authore Auicen. 1.4.tract.4.cap.10.in duobus primis diebus ad reſtringendam ſanguinis efferueſcentiã debet eſſe refrigerans: deinde tẽperatus ſtatim eligendus, aut induſtria præparandus eſt, ne frigidior poros occludat, & exãthematôn eruptionem remoretur. Alimenta porrò debent eſſe in principio refrigerantia ad caloris extinctionẽ, & ad robur leniter aſtringentia, & circa exanthematon eruptionem poſt

retu-

retusam efferuescentiam non ita refrigerantia, nulloque modo astringentia decernenda veniunt. Præterea victus initio tenuis est instituendus, qui tamen in pueris ob exuperantem calorem innatum, & continuam resolutionem paulò vberior & frequentior præbebitur. In materia venenata alexipharmaca sunt permiscenda, cuius generis sunt succi citri, limonum, semina oxalidis, & ocymi, mali citrij, folia buglossi, borraginis, pimpinellæ & violarum. Quinetiam alexipharmaca sumpta & admota iam commemorata statim ad malignitatem discutiendam sunt præscribenda. Cùm verò corpus magna humorum impuritate sordescit, minuentia & mitia medicamenta statim sunt offerenda, antequam excandescat affectus. Id genus sunt leues clysteres, aut blanda medicamenta, veluti cassia, manna, & rheumbarbarum. Valida enim medicamenta nimiopere calfacerēt, atq; immoderatū alui profluuium non sine ægri discrimine proritarent. Post minuētia pharmaca, sanguinis missio, teste Gal. lib. 6. Epid. cōment. 6. protinus tentāda est, quia natura portione sanguinis leuata reliquias expeditius edomat, à sæuioribusq; symptomatib. vindicatur. Interim quātitas ꝓ viribus ægrotātis,

tẽperamẽnto,habitu & ætate,alijsq́;coin-dicationib.detrahetur. Nõ videtur autem reiteranda esse vacuatio, nisi exuperãs san guinis copia,& incendiũ id suadeant, sym ptomatumq́; feritas vrgeat. Cæterũ his le-gitimè & tempestiue administratis accele-randa sunt exanthemata præsidijs, quę ma teriam ad cutim excutiunt & maturãt, ex-tincta prius sanguinis efferuescentia. Nam antequã effloruerũt in cute exanthemata, sanguis excandescit, qui alimentis refrige rantibus,& remedijs refrigerantib. & leni-ter astringentibus obtunditur, cuiusmodi sunt syrupi è granatis,è ribes, & ex acetosi tate cytri. Ad cutim verò euocant,quæ vri-nas & sudores mouent, celebranturque ab Arabibus in hoc negotio, decocta lentium excorticatarum, tragacanthæ, ficuũ & lac-cæ. Maturant aũt suffitus & fotus ex mal-ua,althea,floribus chamæmeli, meliloti,a-nethi & violarum, & furfuribus tritici cõ-parati,quos Rhases in vesiculis reponit, & maturãdis exanthematib. admouet. Post-quam cocta fuerint,post 7.diem acu aurea, vt docet Auicen.sunt rumpenda,ne sanies diutius retẽta altius serpat, & partes sub-iectas cauet. Desiccabuntur è vestigio post apertionem puluere aloës,myrrhę, thuris, & terræ Lemnię. Symptomata testimonio

Exanthematũ & ecthymatũ curatio.

Auicen-

Auicennæ comitantur exanthemata, veluti prurigo, quæ poros aperiētibus & detergentibus demulcetur. Sunt etiam quędam partes, quæ conflictantur, vt gula, pulmo, oculi, nares, & intestina, aluiq; profluuiū consequitur. Hæ aūt sic ab exanthematôn iniuria vindicabuntur, vt gula gargarismis, decoctionis rosarum, rhois, & myrtillorum, addendo dianucon, & diamorrhō, pulmo linctu, syrupis ė papauere, & rosis siccis, oculi, collyrijs, aquæ rosarū, aut decoctionis rhois, & sumach, addendo collyrium albi rhasis, & tātillū croci, nares odoramentis aceti, aures oleo rosato, pauco aceto, & glaucio, & intestina clystere ex decocto rosarū, rhois, sumach, orizæ, & oleo rosato cōposito. Sequūtur ordine bubo & carbunculus, qui simul aut seorsum erumpunt, febribusq; malignis, & pestilētibus, vt docet Auicenn. succedunt, et aliquando autore Gal. febres prægrediuntur, aliquādo consequuntur, præsertim carbunculus, qui in regionib. calidis frequentius quàm bubo grassatur. Docet aūt hic lib. 6. Epid. comment. 29. febres pestilentes à symptomate nomen sortiri, et sic post carbunculū oboriri. At lib. 14. Method. apertè etiā prodidit febres pestilentes ante carbunculum excitari. Siquidem contingit, vt vires ve-

gerę, & validæ humoris venenati portionem in partes externas depellant, carbunculusq; ſtatim emergit, breuiq; tẽporis veſtigio pernicioſa qualitas ita inualeſcit, vt febrem pariant. Cùm verò ſunt imbecillæ & effœtæ, ſtatim primo veneni inſultu febris accenditur, carbunculusq; ſe poſtea profert. Idcirco bubo ad claſſem inflammationum à Galeno relatus, & carbunculus à ſanguine craſſo & retorrido genitus, eandem victus rationem, alexipharmaca minuentia, & malignum humorem, vt in febre peſtilenti vacuãtia non diſsimilia, ſed tantùm ſubſidia peculiaria poſtulant. Non equidem viuendi leges & pharmaciam vniuerſalem, niſi ob ſymptomatum atrocitatem immutant. Sed quia non pauci contendunt poſt apparentia bubonis & carbũculi veſtigia ſanguinem minimè mittendũ eſſe, tutioremque ſudoribus proliciendis locum patere, hãc quęſtionẽ ſic breuiter dirimendã eſſe cẽſeo. Si ſanguis in principio detractus eſt, ante bubonis & carbũculi eruptionẽ, aut manifeſta ſecuritatis indicia ſe ꝓferunt, aut vires elangueſcunt, aut inſignis adeſt impuritas, non videtur eſſe vena elidenda, ſed carbunculus & bubo alexipharmacis intus ſumptis & admotis peculiarib. remedijs oppugnabũtur. Si verò cũ

magno

magno incẽdio ſanguis exuperat, febrisq́; ſæuiſsimis ſtipata ſymptomatib. poſt apparentẽ bubonẽ & carbunculum immaniter excruciat, viresq́; adſint robuſtæ, omnium medicorũ iudicio ſanguis venit detrahẽdꝰ. q̄ natura leuata reliquias minori negotio euincit, cor ad emunctoria venenatã qualitatẽ ſimul cũ ſanguine ꝓpellit, feraq́; ſymptomata ſimul miteſcunt. Quod cõfirmauit Gal. lib. 10. Meth. c. 10. cùm prodidit ad carbunculi curationẽ, ſanguinẽ ad lipothimiã mittendũ eſſe, vt putredo & incendiũ imminuantur. In hoc negotio non videtur eſſe, cõtra quorumdã opinionem verenda exagitatio. Quippè ſi maligna ſubſtantia circa cor inhæreſcit, nulla per ſanguinis miſsionem conſequetur exagitatio, & ſi à corde, aliarumq́; partium robore in partes externas cõmode extrudatur, ſine vllo exagitationis detrimento belle & proſpere hoc ſuccedet. Quod præſtandũ eſt cùm vires ſunt vegetæ, plethora adeſt, incendiũ vrget, ſymptomataq́; anxie ſollicitant. Vbi verò elangueſcunt vires, inſignisq́; obrepit impuritas, pauciq́; ſpiritus ſuperſunt, ſanguis nõ videtur eſſe exhauriẽdus, ne ob totam ſpirituum purorum iacturã inopinata mors immineat. Quò enim maior deliteſcit impuritas accedente viriũ infirmitate,

Curatio bubonis & carbunculi.

tantò minor sanguinis euacuatio tẽtanda est, qua spiritus pauci simul exhalãt. Quocirca in magno incendio, in exuperãte sanguinis copia, in inflãmationib. partiũ principum, vena est potius resignanda in principio, quàm artis ope sudores proliciendi. Nam in principijs morborũ, in virib. copia oppressis, in maligna qualitate, in partiũ principum inflãmationib. præsentissimũ censetur esse remediũ sanguinis missio. Vacuatio verò, quæ fit beneficio sudorum in principijs morborũ, in obstructionib. in inflammationib. in copia obruente, in maligna qualitate partẽ principẽ obsidẽte, ante obstructionẽ expeditã, et exhaustã humorũ peccantiũ colluuiẽ est suspecta, maximè cũ pori sunt obstructi, naturæq; motus eò nõ inclinat. Sudores equidẽ mouentiũ vices supplere fęlicius possunt bezoardica seu amuleta intus sumpta cõmemorata, & accõmodata præsidia buboni et carbunculo admouenda, quæ postea sequentur. Nã sola remedia sudores cientia humores exagitarent, & per vniuersum corporis habitum sparsim dispergerent, certoq; naturæ conatui obsisterẽt, nisi eiusdẽ motus foras huc atq; illuc vergeret, vt apparet in exanthematib. ecthimatibus, & febre pestilenti diaria. In curando verò bubone attrahẽtia

&

& mollientia ab Arabibus probata, cœpe cum theriaca coctũ et admotũ, cucurbitulæ, hirudines, maturantia & causticum seu abscissio cõmendantur. Post apertionẽ bubõis vlcus detergebitur, et cicatrix inducetur, nõ alia methodo, quã quę in alijs vlceribus obseruatur. In obliterando verò carbunculo celebrantur refrigerantia, et discutientia, attrahentia: veluti cucurbitulę, hirudines, anus galli admotus, incisiones altius penetrãtes, causticũ crustã inducens, crustam adimentia ex butyro recenti, & vitello oui cõparata: deinde detergentia aliorum vlcerũ more sensim instituenda. Sola reprimentia buboni et carbunculo imposita, sunt prorsus abdicanda, ne virus intrò cõpellant. In ardore aũt carbunculi leniendo circa partes vicinas refrigerantia, sicuti oxycratum, et vnguentum nutritum tutius admouentur.

Symptomata demulcentibus, vt delirium, carum, syncopem, deiectam appetentiam, vomitum, alui profluuium, & extremarum partium frigiditatem. Deliriũ profligatur clisteribus, oxyrhodino fronti & suturæ coronali admoto, aut pane cum seminibus papaueris albi, lactucę et rosarum permisto, & in principio adhibito; vena frontis secta, frictionibus singularum par- VIII.

tium,& hyrudinibus naribus affixis. Carus clyſteribus acrioribus, ſcapulis admotis, ligaturis dolorem infligentibus, ſinapiſmis & veſicatoris ſuperiori parti colli impoſitis abigitur. Syncope verò adimitur, vbi contrahitur aëre corrupto, ſi mutetur cœlum, aut ſuffitibus emendetur aër. Cùm autem à malignis vaporibus proficiſcitur, alexipharmaca intus ſumpta, & epithemata cordi, hepati, & teſtibus admota rite inſtituuntur. Appetentia deiecta propulſabitur cibis appetitum proſtratum ſuſcitantibus, intemperiem alterantibus, & putredini reſiſtentibus, cuiuſmodi ſunt gelatinæ, conſumpta, inſtaurantia, ſuccis limonum, cytri & arantiorũ ſimul perfuſis. Si humores in ventriculo cumulatius congeſti id mali protulerunt, clyſteres iniecti probantur, aut ſi nauſeam mouerint, vomitu, vt placuit Auic. ſunt excernendi. Cęterum ſi vomitus vrget, cõpeſcendus venit, præſertim cũ vires fatiſcũt, malignaq́; qualitas iã excreta eſt. Vomitum autem ſedantia ſumpta, & admota regioni ventriculi iam ſupra cõmemorata hoc negotium fœliciter præſtabunt. Alui profluuiũ, quod à vehementi incendio colliqueſcẽte cauſas trahit, refrigerantibus ſumptis, & clyſteribus aſtringentib. & roborantib. admotisq́

epithe-

epithematib. regioni ventriculi, & hepatis superponendis sedabitur. Cũ extremarum partiũ frigiditas originẽ ab inflãmatione ducit, venę sectione, alterantib. sumptis & admotis tolletur. Si verò calor imbecillus huius mali causam dederit: cibi euchimi multũ & citò nutrientes, veluti gelatinæ, consumpta & instaurãtia sępe & parũ sunt exhibẽdi. Reliquorũ symptomatũ curatio ex præcedentib. permistis semper bezoardicis petenda est. Superest pestis præseruatio, quę in legitima & tẽpestiua victus ratione alexipharmacis, & pharmacia cõsistit. Primum viuendi leges versabuntur in decenti qualitate, quantitate, vtendi modo & occasione sumendorum, admouendorũ educendorum, & faciendorum, quæ Hippocrates ad aërem, laborem, cibum, potũ, quietem, somnum, vigiliã, & omnia mediocria retulit. Cũ aër sit vitæ nostræ author, & omnium morborum seminarium eligẽdus venit purus, aut si impurus necessario obtingit, suffitibus accõmodatis alterabitur. Qui degunt in aëre impuro & corrupto, vestib. serico potius quã lana contextis induantur, si facultates suppetant. Cibi erunt pauci potius quàm varij, euchimi nec auara, nec liberaliori manu sumpti, benè dentibus contriti, hora consueta, &

diu post exercitium ingesti. Vitandus erit cibus, qui molestã ventriculo grauitatẽ, & potius qui nauseã adfert. Vino vtendũ erit oligophoro, qđ à Rhase in regione æstuosa, & cœlo calidiore dãnatur, & prorsus interdicitur. Interim inædia et intẽperantia in constitutione pestilenti obnixe fugienda erunt. Motus debet esse mediocris, qui calorem innatum excitat, excrementa depellit, & cõcoctionẽ iuuat, nullus cruditatem, immoderatus imbecillitatẽ & humorum exagitationẽ inuehit, in aëreq; impuro pestis contagia prõptius ingenerat. Sõnus mediocris concoctionẽ, paucus cruditatem profert. Venus cane peius & angue vitabitur. Affectus omnes sunt parum tuti, nisi sola lætitia, quæ calorẽ innatũ recreat & excitat. Ira enim excandescentiã & humorum exagitationẽ, tristitia spirituũ consumptionẽ adfert. Sequũtur alexipharmaca suprà cõmemorata, veluti theriaca, mithridatium, confectio ex ouo, è iuglandib. ficubus, et rutha, quæ necessitate vrgente sumenda erunt. Restat pharmacia, quæ cacochimis tantũ congruit, qui catapotia pestilẽtialia per interualla deuorare poterũt. Qui plethora laborant, aut extenuante victus ratione, aut sanguinis missione indigent. Arabes causticũ alicui parti impositũ

commendant. Satis de febre pestilenti dictum est, nunc de sudore britãnico differendum venit, cuius integra curatio tria remediorũ capita cõplectitur, vtpote legitimã victus rationẽ, accommodatũ bezoardicorum vsum, opportunã & tempestiuã sudorum extractionẽ. Victus tenuis primo loco instituetur, ne liberalior frugiferã sudorũ eruptionẽ intercipiat. Si aũt vires vegetæ ferre possent, ab omni cibo interdicendi essent ægri, ne eiusdem occursu naturæ motus interrumpatur. Tamen quia hoc effrænato affectu correpti, stomachi, & capitis dolore feruido cruciantur, sitiq; molesta importunitate anxiè diuexantur: huic demulcendæ ptisana & syrupis è limonibus, è granatis, violaceo, alijsq; eiusmodi succurrendum erit. Cũ verò perniciosa humorum illuuies cor labefactet, & obterat, alexipharmaca in febre pestilenti tradita cõmodè exhibebuntur. Cæterũ sedula debet esse cautio in eliciendis sudorib. qui quidem si subsistũt, repente è medio tollitur: si vberius effundantur, fœtido sudore exoluitur ęger. Quocirca in dignoscendis viribus pulsus tãquã certissimus testis est exacte perpendendus, qui si languidus apparet, exuperans sudoris profluuiũ artis præsidijs compescendum venit. Aër enim re-

Sudoris Britãnici curatio.

frigerans industria apparandus, molliq́ue veste contegendus erit æger, cuius sinistrę mãmæ epithema, & cataplasma ex rosis, sumach, rhoe: & palmulis comparatũ ventri inferiori adsistendam sudorum eruptionem ritè admouebuntur. Vbi verò sudor supprimitur, copiosioribus stragulis vtendum erit, calidior aër inducetur, somnus cõciliabitur, syrupi sudoré cientes exhibebuntur, & clysteres iniicientur. Non dissimili modo accidit in hac febre, vt in syncopali ab Arabibus minuta dicta, in qua propter humorum tenuitatem & resolutioné periclitantur ægri. Ab hac etiam non multum differt febris cardiaca, cuius Celsus & Græci recentiores meminerunt. Quamobrem in hoc perpetuo incumbẽdum est, vt admotamanu carpo pulsus exploretur, viriumq́ue róbur certo perpendatur, & mediocre adsit sudorum profluuium. Vt hoc assequi liceat hoc morbo correpti in lecto continebuntur, pedes & manus quantum fieri potest ob sudorum suppreſsioné neutiquam iactabunt à noxijs animi affectibus arcebuntur, in spem prosperæ valetudinis erigentur, gelatinis instaurantibus, & hordeatis fulcientur, si inædiam propter virium infirmitatem ferre nõ possunt, ptisana ad sędandã sitim vtentur. Celsus in cardia-

co affectu, nisi necesse est non esse festinandum ad vinum, censet. Odores, qui à Grecis & Arabibus ad re sarciendam spirituum iacturam commendantur: huic affectui supra modum conferre poterunt, cuiusmodi sunt aqua rosarum, acetum, vinum & santala. Interim etiam alexipharmaca opportune instituantur: nisi equidē hæc dextre administrentur, ægri aut sunt deperditæ sanitatis, aut in eundem affectum sæpe relabūtur, vt cronica Anglorum apertè declarāt.

Quare methodicam febrium curationē sigilatim perstrinxi: nunc eodē ordine explicandum est, quibus viuendi legibus, qualibus, & quantis præsidijs, paucis, vel pluribus, vna vel recidiua vice repetitis, quomodo, per quē locum, & quādo morbi singularum partium sunt profligandi.



ERRATA

Pag. 13. *lin.* 23. *pyrotechnia.* *pag.* 46. 16. *liberalius cœnata post interiit vitabitur.* *pag.* 77. 3. *sphacelismo.* *pag* 82. 13. *tenuans.* *pag.* 87. 27. *formabuntur* *pag.* 98. 10. *febresq;.* *pag.* 107. 24. *chamædris.* *pag.* 108. 1. *hiera diacolocyntidos.*


BIBLIOTHEC

